DE

M. VIPSANII AGRIPPAE

IN

REMPUBLICAM ROMANAM MERITIS.

DE

M. VIPSANII AGRIPPAE

IN

REMPUBLICAM ROMANAM MERITIS.

SPECIMEN HISTORICO-LITERARIUM

DE

M. VIPSANII AGRIPPAE

IN

REMPUBLICAM ROMANAM MERITIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

Joannis Frederici van Oordt, J. G. Fil.,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET
LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

Didericus van Lankeren Matthes,

AMSTELAEDAMENSIS.

DIE XXIII DECEMBRIS MDCCCXLI, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELAEDAMI,
APUD P. N. VAN KAMPEN.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA M. & F. C. WESTERMAN.
MDCCCXLI.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Solent in turbis, quibus civitates lacerantur, viri dotibus ingenii et fortitudine eminentes multas occasiones invenire, quibus celerius, quam quietis temporibus, innotescunt et ad altum fastigium evehuntur. Ita eo tempore, quo post Caesarem Dictatorem occisum exstincta est civitatis Romanae libertas, in gravi certamine quisnam Romae rerum summa potiretur, multi variis nominibus insignes viri Romae floruere, quos tam aequales quam posteri magnis laudibus extulerunt. Non infimum inter eos locum obtinuit M. Vipsanius Agrippa, qui vir egregius cum saepe miratus essem cur parum scriptorum laudibus esset celebratus, de ejus in Rempublicam meritis inquirere coepi. Ne autem quis putet hoc specimen, quo studiis meis finem imponam, laudationem fore viri tantae praestantiae eoque stili nitore elaboratum, quem rei magnitudo poscere videtur. Propositum mihi fuit, ea investigare, quae Historici de rebus ab Agrippa pro republica pace belloque praeclare gestis tradidere. Quare non difficili animo ut accipias B. L. specimen hoc qualecunque etiam atque etiam rogo; tali enim animo cum semper indigeo, tum maxime in hac causa, quoniam per breve admodum temporis spatium opusculum hoc mihi fuit conscribendum.

E scriptoribus, quibus praeter auctores veteres usus

sum, nominandus est Abbas LE BLOND, *cujus disquisitio de vita numisque Agrippae invenitur in opere, cui titulus:* Histoire de l'Académie des Inscriptions et belles lettres. Tome XL. pag. 37—68. — *Exstat praeterea liber* G. C. GEBAUERI *de* M. AGRIPPA, *quem tamen nancisci non potui. — Jam cum finem operi meo imposuissem, videre mihi contigit scriptum eleganter elaboratum viri cl.* P. S. FRANDSEN, *cui titulus est:* M. VIPSANIUS AGRIPPA, eine historische Untersuchung über dessen Leben und Wirken, *quod si prius habuissem, consilium fortasse mutassem. Illud tamen doleo viri clarissimi judicium de Agrippae indole discrepare ab ea sententia, in quam antiquos auctores secutus recte deductus esse mihi videor. Nimirum vir ille doctus virum ambitiosum Agrippam existimat, qui non ad populi salutem, sed tantum ut ambitioni suae satisfaceret, beneficia in rempublicam contulerit. — Recentissimus de Agrippa quaedam tradit vir cl.* WEICHERT *in opere:* Imperatoris Caes. Augusti Scriptorum reliquiae, Grimae, 1841, Exc. 3.

Atque haec habui quae de argumento dicerem. Jam Praefationi terminos ponere mihi licuisset, nisi dulce restaret pietatis officium, gratias nempe agendi illis, qui variis rationibus vel docendo vel consilia communicando mihi adfuerunt.

Vos primum compello, Rector et Conrector hujus Urbis Gymnasii! accipite gratias pro egregiis vestris institutionibus et pro amicitia, qua me condecorare non

dedignati estis. Tua inprimis, aestumatissime VEEGENS! *consilia mihi usque praestita magna cum voluptate semper recordabor.*

Vobis deinde, Viri clarissimi! quorum lectionibus eximiis mihi frui licuit, gratum testor animum.

Si quid in Literarum studiis profecerim, hoc me debere tuae institutioni, vir celeberrime VAN LENNEP! *lubens profiteor, qui me etiam in interiorem necessitudinem admisisti. Omnia autem in me collata beneficia sentire si omnino possim, verbis ea exprimere non possum. Hoc autem persuasum habeto, discipulos ex tua institutione prodiisse profecto me doctiores, gratiorem autem neminem.*

Tibi, clarissime BOSSCHA! *etiam gratum animum significo et semper habebo pro auxilio postremis praesertim temporibus mihi praestito. Persuasum tibi habeas me tuae benevolentiae immemorem numquam exstiturum.*

Neque te, clarissime PEERLKAMP! *Promotor aestumatissime, silentio praetermittere sinit pietas. Accipias grates pro consiliis, quae mihi communicasti, et pro comitate, qua me excipere voluisti.*

Deum precor O. M. ut vobis, VV. CC. vitam longam et beatam concedat in vestram salutem et discipulorum emolumentum.

Tandem vobis, amici! valedicere cogor. Amicitia, qua vobiscum junctus sum, ne aut temporis spatio aut locorum distantia rumpatur etiam atque etiam opto.

CONSPECTUS.

Caput I. Brevis vitae M. Vipsanii Agrippae conspectus, pag. 1.

Caput II. Quid de Agrippa judicandum, ... „ 17.

Caput III. Quid praestiterit M. Agrippa Reipublicae per bella civilia, ... „ 28.

Caput IV. Quid per bella externa Reipublicae praestiterit M. Agrippa, ... „ 49.

Caput V. Quid in interno regimine Reipublicae praestiterit M. Agrippa, ... „ 60.

Caput Primum.

BREVIS VITAE M. VIPSANII AGRIPPAE CONSPECTUS.

Licet non id propositum sit huic specimini, ut omnia quae ad Agrippae natales, fata et cujuscumque generis res gestas pertineant singillatim exponantur, tamen ea quae pro republica fecerit apte ob oculos poni non posse videntur, nisi prius in Lectoris animum revocentur quae praecipua in vita ejus memorabilia exstiterint. Breviter igitur haecce recenseamus.

Natus est M. Vipsanius Agrippa anno Urbis Cond. 691 M. Cicerone et C. Antonio Coss., quo anno et fautor ejus Octavianus primum in lucem editus est (1). De ejus parentibus nihil constat nisi praenomen patris, qui *Lucius* vocabatur, uti intelligitur ex inscriptione in Panthei fronte: *M. Agrippa L. F. consul tertium fecit.* — De praenomine fratris, quem habuisse eum tes-

(1) SUET. *in* OCT. cap. 5.

tatur Nicolaus Damascenus (1), non constat. Hic, Pompejum secutus in bello civili, deinde Catonis comes fuit, qui eum maxime dilexit, et post victoriam captus a C. Julio Caesare, Octaviano amicitia erga nostrum moto rogante, veniam impetravit (2).

Mentio etiam fit sororis Agrippae, cui nomen Vipsania Pola (3).

Agrippa familia ignobili ortus est et ab omnibus scriptoribus homo novus fuisse dicitur (4).

Gentis nomen erat *Vipsanius* sive *Vipstanus*, de qua vocis differentia multum disputaverunt viri docti; at parum refert, cum nullus e gente Vipsania ante Agrippam ad celebritatem pervenerit. Noti sunt caeteroqui ex aliis familiis Vipsanii, qui cognomina habuere: *Gallus*, *Lenas*, *Messala*, cet (5).

Agrippa cum prius praenomen fuisset, quo priscis temporibus Menenios et Furios usos esse constat, postea in cognomen abiit apud Romanos in *Vipsaniis*, *Asiniis*, *Hateriis*, *Fontejis*, *Juliis*, *Helviis* gentibus (6).

---

(1) *De inst.* Aug. (2) Nic. Damasc. *ibidem.*

(3) Dio Cass. Lib. LV. cap. 8. Plin. *Hist. Nat. Editione Harduini* Lib. III. § 3.

(4) Tacit. *Ann.* Lib. I. cap. 3. Vell. Paterc. Lib. II. cap. 96.

(5) Tacit. *Ann.* Lib. II. cap. 51. Lib. XIII. cap. 30. *Hist.* Lib. III. c. 9, 11, 18, 25, 28. *De gente Vipsania vid.* Fulvius Ursinus *de Familiis Romanorum in* Thes. Graev. *Tom.* VII. p. 1306.

(6) Vid. Onuphrius Panvinus *de Nominibus Rom. in* Thes. Graev. *Tom.* II. p. 2024. A. Schottus in Rosini *Ant. Rom.* pag. 914. Tacit. *Ann.* Lib. IV. cap. 34; Lib. I. c. 77; Lib. II. c. 30; Lib. XV. c. 71.

De origine hujus vocis varia traduntur; alii enim eo cognomine illos appellatos fuisse dicunt, qui cum labore matris editi essent ab *aegro partu*, alii vero ab *aegris pedibus* vocis originem repetunt, ut ita dicti fuerint, qui primis pedibus non capite nascerentur (1), quod, cum contra solitas naturae leges esset, existimabatur infelicem vitae sortem praesagire; imo M. Agrippam cum unicum fere exemplum felicitatis in omnibus eo modo natis afferat Plinius (2) tamen, ne augurium mendax appareat, omnia ejus aevi infortunia recenset. Secundum alios vox est mere Graeca, atque derivanda est ab ἀγρεῖν, captare, venari et ἵππος; Doederlein putat Agrippae nomen explicandum esse quasi ἵππους ἀγείρων ut ἀγέρωχος quasi ὄχους ἀγείρων (3). Quod vocis formae magis congruum videtur, neque impedit, quominus a miro nascendi genere noster ita vocatus sit.

Jam puer amicitia cum Octaviano junctus fuit; cumque hic Apolloniam ab avunculo Julio Caesare missus esset, ut arti militari aliisque disciplinis addiscendis vacaret, Agrippam comitem habuit (4). Per tempus illud, quo studiis illis operam navabant, hoc memoratu dignum accidit. Cum enim Theogenem mathemati-

(1) Servius ad Aen. Lib. VIII. vs. 682. Plin. *Hist. Nat.* Lib. VII. § 6. Cfr. Quintil. *Inst. Orat.* Lib. I. cap. 4. Aulus Gellius *Noct. Att.* Lib. XVI. cap. 16.

(2) l. l.

(3) *Lateinische Synonyme uud Etymologiën*, Tb. VI. in voce.

(4) Nicol. Damasc. *De inst.* Aug. Cfr. Dio Cass. Lib. XLV. cap. 2 et 3. Vell. Paterc. Lib. II. cap. 59. Nepos *in* Att. cap. 12.

cum adiissent consulendi gratia de fatis, quae sibi instarent, hic Agrippae, primum interroganti, magna et fere incredibilia praedixit. Sed mox cum aegre ab Octaviano impetrasset ut hic quoque sidera sua natalitia ederet, praegrandem ejus fortunam praevidens adorare coepit (1).

Non vero per longum tempus commorati sunt Apolloniae. Etenim sex mensibus elapsis postquam eo appulerant, nunciata est Julii Caesaris caedes. Dubitaverat Octavianus utrum Romam se conferret, nec ne; at amicorum suorum Agrippae et Salvidieni consilio non spernendam esse opem, quam ei pollicerentur centuriones et milites, morem gerens, in Italiam venit a°. 710 (2).

Sequenti anno 711 Reipublicae Romanae multa memorabilia acciderunt. Etenim Octavianus, cum paullatim magnam sibi auctoritatem comparasset, imo vix viginti annos natus consularem dignitatem adeptus esset, bello Mutinensi confecto, cum Antonio et Lepido rerum summa potitus est, totumque imperium cum his divisit titulo Triumvirorum Reipublicae constituendae (3). Quid interim Agrippa gesserit non traditur. Semel tantum per has civiles turbas ejus mentio apud

---

(1) Suet. *in* Oct. c. 94.

(2) Vell. Pat. Lib. II. c. 59. Cfr. Appian. *de Bell. Civ.* Lib. III. cap. 9 et seqq.

(3) Dio. Cass. Lib. XLVI. App. *de Bell. Civ.* Lib. III. cap. 65 seqq. Plut. *in* Ant. cap. 17 seqq.

scriptores fit; cum enim Octavianus Julii Caesaris caedis ulciscendae gratia in omnes interfectores avunculi sui, necisque conscios judicia instituisset, Agrippa accusatoris partes suscepit in M. Brutum, dum L. Cornificio accusatio Cassii committeretur (1). Licet porro admodum credibile videatur proelio Philippensi, quo *fracta virtus et minaces turpe solum tetigere mento*, interfuisse Agrippam, tamen, cum non diserte id tradatur, in dubio est. Sunt tamen fortasse nonnulli, qui hoc ex loco quodam Plinii efficiant (2).

In bello Perusino, quod, Octaviano Romam reverso, anno 713 exarsit, primum Agrippam militari imperio instructum videmus; qua opportunitate virtutis bellicae multa specimina dedit (3); quamvis enim non tanta potestas ei commissa esset quanta postea gavisus est, tamen multum eum contulisse ut Octavianus bellum illud feliciter ad finem perduceret, ad evidentiam usque apparebit capite tertio hujus speciminis.

Eo bello confecto anno 714 Praeturam gessit Agrippa (4). Notandum est legis Annalis veniam eum accipere debuisse, cum vix viginti tres annos natus esset necdum quaestor fuisset. Cum vero eo anno pace inter Octavium et Antonium composita, praetores

(1) Plut. *in* Brut. c. 27. Vell. Paterc. Lib. II. c. 69.

(2) *Hist. Nat.* VII. § 46. ubi legimus: „*Philippensi praelio morbus, fuga, et triduo in palude aegroti: et* (ut fatentur Agrippa et Maecenas) *aqua subter cutem fusa turgida latera.*"

(3) App. *De Bell. Civ.* Lib. V. cap. 31—50.

(4) Dio. Cass. Lib. XLVIII. cap. 20.

et Consules muneribus suis abdicare coacti essent, hoc etiam nostro accidisse, certum est, quanquam id de eo non diserte memoratur (1).

Jampridem eo ipso anno exercitum duxerat contra Sext. Pompejum, qui Italiae oras appulerat, ibique multa loca infestaverat (2).

Ut autem verosimile, non diu post expeditiones in Gallias et Aquitaniam fecit, ibique rem propere gessit (3).

Anno 717, annos 26 natus, primum Consul creatus est et collegam habuit L. Caninium Gallum. Est gemma Parisiis, saltem aetate Le Blondi, cum inscriptione: *Imp. Divi Julii F. iterum* III *Vir. R. P. C.*, circum caput Augusti laureatum; in area legitur: *M. Agrippa Cos. desig.* (4).

Interim novo bello inter Octavianum et Sex. Pompejum orto, illi diu adversa fuit fortuna, quamobrem Agrippae negotium restituendae classis, quae fere tota tempestatibus obruta fuerat, mandavit; quo munere functus portuque Julio, opere mirabili, exstructo, totius classis imperium naetus est, bellique faecem solertiâ simul et virtute usus prorsus exstinxit (5).

---

(1) Dio. Cass. Lib. cit. cap. 32.

(2) Dio. Cass. l.l. cap. 20 et 28. App. *de Bell. civ.* Lib. V. c. 57 seq.

(3) Dio. Cass. Lib. cit. cap. 49. Eutrop. Lib VII. cap. 5. App. *de Bell. civ.* Lib. cit. cap. 92.

(4) *Hist. de l'Académie des Inscriptions et belles Lettres.* Tom. XL. p. 42.

(5) Vell. Pat. Lib. II. cap. 79. Dio. Cass. Lib. cit. cap. 46 seqq. Lib. XLIX. cap. 2 seqq. App. *de Bell. civ.* Lib. cit. cap. 96—122. Suet *in* Oct. c. 16.

Postquam deinde Octaviano in expeditionibus contra Illyrios et Dalmatas annis 719 et 720 comes adfuerat (1), anno 721 Aedilitatem suscepit, quo magistratu innumera fecit eaque maximi momenti opera, quibus ad ornatum et commoda Romae urbis contulit, praesertim aquae ductibus construendis et emendandis, unde ab hoc inde tempore curatoris aquarum munere functus est (2).

Interea initia novi belli ostendebantur. Antonius et Caesar ad ultimum certamen vires suas colligebant, a cujus eventu totius imperii Romani salus pendebat. Agrippa in hoc rerum discrimine permagnas partes egit, quippe cujus opera Caesariani victoriam de Antonio et Cleopatra prope Actium anno 723 reportaverunt (3). Post hanc pugnam Caesar in Aegyptum trajecit, Agrippam autem magna potestate instructum Romam misit (4).

Sequenti anno Caesar Romam redux dubitans, vel saltem dubitare se simulans, utrum summum imperium

---

(1) App. *de Reb. Illyr.* c. 20. Dio. Cass. Lib. XLIX. c. 38.

(2) Dio. Cass. Lib. laud. cap. 43. Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXI. § 24. Lib. XXXVI. § 24. Frontinus *de Aquaeductibus Ed. Poleni* art. 98.

(3) Dio. Cass. Lib. L. c. 13 et seqq. Plut. *in Ant.* c. 66. Virgilius Aen. Lib. VIII. vs. 682 seqq. cum hisce versibus celebrat:

> *Parte alia ventis et Dis Agrippa secundis*
> *Arduus agmen agens: cui belli insigne superbum*
> *Tempora navali fulgent rostrata corona.*

(4) Dio. Cass. Lib. LI. c. 3 et 4.

Senatui populoque traderet an vero sibi retineret, de ea quaestione amicos suos Agrippam et Maecenatem, quorum consilio in omnibus suis arcanis uti solebat, consuluit. Uterque amplis sermonibus candide opinionem suam aperuere. Agrippa prior verba faciens eum dehortatus est a veteri reipublicae forma evertenda; at Maecenatis consilium retinendae potestatis praevaluisse novimus (1). Hoc autem nequaquam impedivit, quominus pergeret Agrippa Principi in omnibus rebus majoris momenti exsequendis adesse; neque Augustus Agrippam, quia non ad suam voluntatem locutus esset, ideo minoris fecit; contra eum ab hoc inde tempore majoribus usque honoribus decoravit. Eodem enim anno 725 censoriam potestatem cum eo exercuit (2), et duobus subsequentibus annis (726 et 727) geminatis consulatibus, se collega, eum extulit (3). Diserte quoque memoriae proditur Augustus ipse Consul VI Agrippae collegae fasces tradidisse (4), quod, licet pristinis temporibus moris esset, ea ipsa narratione ostendit non solitum honorem fuisse iis, qui Augustum collegam haberent (5).

Sic ter Agrippa consulari dignitate decoratus est.

---

(1) Dio. Casa. Lib. LII. cap. 2—41.

(2) Dio. Casa. ibidem cap. 41 seq.

(3) Tacit. *Ann.* Lib. I. cap. 3. Vell. Pat. Lib. II. cap. 90. Cfr. Mart. *Epigr.* VIII. ep. 66.

(4) Dio. Cass. Lib. LIII. cap. 1.

(5) Etenim videtur Augustus ipse consul, viginti quatuor lictoribus incedere solitus fuisse, ut antea Sylla, quod ex Epit. Liv. Lib. 89 patet.

Non autem, ut nonnulli volunt, quater consulem fuisse Agrippam, satis perspicuum est ex loco Velleji (1): *amicitia principis eum ad tertium consulatum evexerat*, licet quidam ex alio ejusdem Velleji loco (2) id conjiciant, ubi legimus: *bellum Pannonicum quod inchoatum Agrippa Marcoque Vinicio avo tuo Coss.* cet. Lipsii conjecturam, legendum esse: quod inchoatum *ab* Agrippa et mox *Cos.* viri docti approbant. Utut est, cum nusquam de quarto consulatu Agrippae legatur, et contra Tacitus, ipse Vellejus aliique disertis verbis de tribus solummodo consulatibus loquantur, non oportet ex uno illo loco, etiamsi non mendosus esset, statui Agrippam quartum consulatum gessisse.

Memorandum praeterea est anno 726 Augustum ei sororis suae filiam Marcellam in matrimonium dedisse (3). Primam uxorem duxerat Pomponiam Attici filiam, conciliante M. Antonio triumviro (4), de quarum nuptiarum tempore nil certi constat.

Annis 728 et 729 operibus magnificis exstruendis nomen immortale sibi comparavit, de quibus suo loco agendum erit. Ita etiam eo tempore, quo magistratu vacabat, optime de Roma meruit; non igitur est mirum,

---

(1) Lib. II. cap. 90.

(2) Lib. II. cap. 96. Vid. interpretes ad hunc locum.

(3) Dio. Cass. Lib. LIII. cap. 1. Plut. *in* Ant. cap. 87. Suet. *in* Oct. cap. 63.

(4) Nepos *in* Att. cap. 12.

Augustum ei in dies plura commisisse et honoribus eum prosecutum esse; sic anno 729 principis loco praefuit celebrandis nuptiis filiae Juliae et Marcelli nepotis ex sorore Octavia, quum ipse Caesar propter aegram valetudinem adesse non posset; nec non quum domus in monte Palatino (quae prius Antonii fuerat, deinde Agrippae et Messalae donata) conflagrasset, Messalae pecuniam dedit, Agrippam vero in suam domum recepit (1).

Fidelis autem illa amicitia, quae inter Augustum et Agrippam exstiterat, ipsa causa principi fuit familiarem suum per breve tempus procul a se mittendi.

---

(1) Dio Cass. Lib. LIII. c. 27, ubi legimus: *τῷ μὲν Μεσσάλᾳ ἀργύριον ἐχαρίσατο, τὸν δὲ Ἀγρίππαν σύνοικον ἐποιήσατο*, quae verba male vulgo intelligi opinatur Leunclavius, cui praeferenda videtur lectio: *τῷ μὲν Μεσσάλᾳ ἄλλην οἰκίαν ἐχαρίσατο.* Deinde *σύνοικον* non significare *in suam domum ad se recipere* putat, verum mentem Dionis esse, Augustum communem Agrippae cum Messala domum a Messala redemisse: quo solus eam incolens Agrippa *vicinus* Augusti efficeretur ob aedium conjunctionem quae proprie *συνοικία* est, seu patet ex Libro LIV. cap. 4, ubi legitur: *οἱ τὰς συνοικίας νύκτωρ φυλάσσοντες*, *qui noctu invicem domos custodirent*, itaque nihil aliud esse *Ἀγρίππαν σύνοικον ἐποιήσατο* quam *Agrippam sibi vicinum fecit.*" At statim post haec verba Dionis sequitur: *οὗτος* (Agrippa) *τε οὖν ἐκ τούτων οὐκ ἀπεικότως ἐγαυροῦτο.* Quod contra Leunclavii sententiam facere videtur, nam ob solam vicinitatem nulla sane causa Agrippae fuisset animum extollendi. Praeterea *σύνοικος eadem domo habitans* significat, ut apud Soph. *Electr.* vs. 819.

Res ab origine sic fere sese habuit: Augustus a° 731 XI Consul, ut debilis erat valetudinis, jam gravi morbo laboravit, ita ut fere omnem spem salutis amisisset; quamobrem magistratibus et senatorum equitumque principibus arcessitis, Pisoni libellum, in quo exercituum et redituum publicorum indicem conscripserat, Agrippae annulum tradidit sigillarem (1). Hinc sparsa Romae opinio est, Agrippam sibi successorem ab Augusto constitutum esse, quod merito mirabantur, quia Marcello, sororis filio, quem tot honoribus insignivisset, cujus aedilitatem splendido modo adornasset, ideo omnes crediderant principatum destinatum esse. Augustus, Musae opera valetudine recuperata, id fortasse suspicans, testamentum suum in Senatu recitari voluit, ut ostenderet, neminem successorem se constituisse. Hoc autem consilium omnibus dissuadentibus non exsecutus est (2).

Licet igitur nequaquam manifestum esset Marcellum successione orbatum esse, tamen ob honorem, quo Augustus annulo tradito Agrippam ornasset, simultatem quamdam contra Agrippam suscepit Marcellus; quae, ne in gravia dissidia erumperet, metuens Augustus Agrippam in Syriam misit. Ut autem neutrum offenderet et rei honestam speciem servaret, provinciae ad-

---

(1) Dio Cass. Lib. laud. c. 30. Suet. *in* Oct. c. 28 *et* 81.

(2) Dio Cass. ibidem c. 31.

ministratione exsilium illud condecoravit (1). — Non diu autem ille discessus duravit; Marcello enim paulo post vita functo Augustus amicum suum in Italiam revocavit a°. 733, quem praeterea ad opprimendos tumultus quosdam Romae ortos aptissimum judicabat (2). Praeterea monente Maecenate uxorem Marcellam repudiare, suamque filiam Juliam ducere jussit (3).

Sic Agrippa jam Augusti gener administrationem Italiae suscepit. Post annum autem 734 Roma relicta, iterum expeditionem in Galliam et Germaniam fecit, deinde in Hispaniam transiit, ubi Cantabros non sine magno labore domuit (4). Romam redux in urbem Aquam Virginem duxit, aliisque operibus laudem meruit (5).

Anno 736 tribuniciam potestatem, quae Augusto jampridem tributa erat, accepit in quinquennium (6). Sic ad

---

(1) Ita narrat Dio. Cass. l. l. c. 32. Cfr. Vell. Pat. Lib. II. cap. 93. Plin. *Hist. Nat.* Lib. VII. § 46. qui inter infortunia Augusti *pudendam Agrippae ablegationem* memorat. Suet. *in* Oct. cap. 66; *in* Tib. cap. 10 ubi ait: *M. Agrippa M. Marcello ad munera publica admoto Mitylenas abiit ne aut obstare aut obtrectare aliquid praesens videretur.*

(2) Dio. Cass. Lib. LIV. cap. 6.

(3) Plut. *in* Ant. c. 87. Suet *in* Oct. cap. 63. Vell. l. cit. Tacit. *Ann.* I. c. 3. *Hist.* I. c. 15.

(4) Dio. Cass. Lib. cit. c. 11. Horat. *Ep.* Lib. I. *Ep.* 12 vs. 26.

(5) Front. *de aquaeduct.* art. 10.

(6) Dio. l. l. c. 12. Exstat numus in Thes. Morell. Ed. S. Havercampii. Amst. 1734. p. 635. cujus inscriptio est: *M. Agrippa Trib. Pot. Cos.* III. qui tamen non constat an genuinus sit. Vid. *Hist. de l'Ac. des Inscr. etc.* Tom. XL. p. 61.

summmos in republica honores pervenerat, quibus addi potest, eum anno 737 in collegium quindecimvirorum sacris faciundis adoptatum esse, quibus cura ludorum Apollinarium incumbebat (1).

L. Domitio et P. Scipione Coss. a°. 738 Agrippa iterum in Asiam profectus est, ubi ab Herode hospitio exceptus deinde bellum in Bosporo Cimmerica ortum exstinxit (2).

Tribus annis post Romam rediit, eique potestas tribunicia in quinque annos prorogata est; quo honore breviter admodum usus est; quippe vix in Italiam redux, cum copiis Pannoniam intravit, ubi Barbari Romanam dominationem aegre ferebant (3). Illic rebus confectis initio anni 742 ad patriam properavit; at Romam non amplius adspicere ei fatale erat. Etenim in Campaniam cum venisset in morbum gravem incidit et paulo post e vita discessit anno aetatis quinquagesimo primo (4). Augustus tum forte quinquatribus, qui ludi

(1) Dio. Cass. l. l. c. 19.

(2) Joseph. *Ant. Jud.* Lib. XVI. cap. 2. Oros. Lib. VI. cap. 21.

(3) Dio. Cass. l. l. c. 28.

(4) Plin. *Hist. Nat.* Lib. VII. § 6. Dio. Cass. ibidem. Quo morbi genere consumtus sit Agrippa non dicitur. Secundum Plin. XXIII. § 27. supremis annis gravi morbo pedibus conflictatus est; qui eodem loco ait: *cum dolorem eum perpeti nequiret, unius medicorum portentosa scientia, ignorante Divo Augusto, tanti putavit usu pedum sensuque omni carere, dummodo et dolore illo careret, demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi.*

in honorem Minervae XV Kal. Aprilis celebrabantur, munus gladiatorium pro Agrippae filiis Cajo et Lucio exhibens, simulac nuncium accepit de Agrippae morbo ad eum profectus est; at superstitem videre ei non contigit. Cadaver Romam advectum et in foro expositum est, ipse Caesar funebri oratione mortuum laudavit, expanso velo inter se et cadaver (1). Deinde in Mausoleum Augusti sepulcro conditus est, licet Agrippa proprium sepulcrum in Campo Martio habuerit (2).

Testamento hortos et balnea populo legavit ut gratis iis uterentur, quorum impensis ut sufficeret, praedia Augusto reliquit, qui praeterea viritim numos quadringentos, quasi Agrippae mandato, divisit populo. Nec mirum, cum plurima ex Agrippae haereditate accepisset, in his et Chersonesum Thracicam quam quo jure obtinuerit Agrippa ignorat Dio (3).

Quantam ejus morte calamitatem imperio inflictam

---

(1) Dio Cass. Lib. LIV. c. 28. Qui addit: *τὸ (παραπέτασμα) ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα διὰ τί ποίησεν. εἴρηται δὲ ὅμως τοῖς μὲν, ὅτι ἀρχιερεὺς ἦν, τοῖς δὲ, ὅτι τὰ τῶν τιμητῶν ἔπραττεν· οὐκ ὀρθῶς φρονοῦσιν. οὔτε γὰρ τῷ ἀρχιερεεῖ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾷν οὔτε τῷ τιμητῇ, πλὴν ἂν τὸ τέλος ταῖς ἀπογραφαῖς μέλλῃ ἐπάξειν.* Causam tamen fuisse putamus quod Imperatori et Pontifici Maximo non fas erat cadaver inspicere, ut significare videtur Seneca *in Cons. ad Marc.* c. 15 idem de Tiberio tradens. Conf. Dio. Cass. Lib. cit. cap. 35. Lib. LV. cap. 28 et 35. Lib. LVI. cap. 31. Tacit *Ann.* Lib. I. c. 62 ibique VV. DD.

(2) Hujus etiam mentionem facit Suet. *in* Oct. cap. 97.

(3) Dio. Cass. Lib. LIV. cap. 29.

existimarent, apparet ex multis prodigiis eo tempore nunciatis: bubones frequentes in urbem venere, fulmine domus in Albana, in quam consules sacra facientes divertere solebant, icta fuit; cometa, qui jam per multos dies apparuerat, in faces abiit; incendio multa urbis aedificia ac Romuli tabernaculum conflagrarunt, quum in id corvi carnes ignitas ab ara quadam raptas conjecissent (1).

Quod ad Agrippae progeniem attinet, tres uxores eum duxisse vidimus. Ex Pomponia ei filia nata est *Vipsania*, quae vix unum annum nata Tiberio Claudio desponsa est (2); cujus uxor non per longum tempus fuit; etenim jam repudiata anno 742 postea Asinio Gallo, Pollionis filio, nupsit. Ejus ex Tiberio filius Drusus erat; e matrimonio cum Asinio Gallo nati sunt quinque filii (3). *Vipsania una omnium Agrippae liberorum excessit miti obitu* (4).

Ex altero matrimonio cum Marcella liberos genitos fuisse adseverat Suetonius (5); at de iis nihil amplius constat. Tandem cum septem annis post Juliam uxorem duxisset, quam verosimile est infelicem ei domesticam vitam reddidisse, ei nati sunt tres filii: Cajus anno

---

(1) Dio. Cass. *ibidem.*

(2) Nep. *in* Att. c. 19.

(3) Dio. Cass. Lib. cit. cap. 31. Suet. *in* Tib. cap 7, qui eam Agrippinam vocat. in Oct. c. 65. Tacit. *Ann.* Lib. I. c. 12.

(4) Verba sunt Taciti *Ann.* Lib. III. cap. 19.

(5) *In* Oct. cap. 63.

734 (1), Lucius anno 737 (2), quos tanquam nepotes ex filia adoptavit et successores constituit Augustus (3), sed Liviae ope ex Italia missi Cajus anno 756, in Lycia, Lucius anno 755 Massiliae mortui sunt (4); Agrippa Posthumus anno 742 post patris mortem natus (5), qui, in insulam Planasiam relegatus, ibi jussu Tiberii occisus est (6); et duae filiae Julia, uxor L. Aemilii Lepidi, quae vestigia matris secuta, justas flagitiorum poenas dedit (7), et Agrippina, uxor Germanici, cujus fata satis nota sunt (8).

(1) Dio. Cass. Lib. cit. cap. 8.

(2) Dio. Cass. l. l. cap. 18.

(3) Dio. Cass. ibid. Suet. *in* Oct. cap. 64. Tacit. *Ann.* Lib. I. cap. 3.

(4) Tacit. *Ann.* Lib. I. cap. 3. Suet. *in* Oct. cap. 65. Vell. Paterc. Lib. II. cap. 102.

(5) Dio. Cass. l. l. cap. 29. Vell. Pat. Lib. II. cap. 104.

(6) Dio. Cass. Lib. LV. c. 32. Lib. LVII. c. 3. Suet *in* Tib. cap. 22. *in* Oct. c. 65. Tacitus ibidem et cap. 6. Vell. Lib. II. c. 112.

(7) Tacit. *Ann.* Lib. III. c. 24. Lib. IV. c. 71.

(8) Vid. Tacit. *Ann.* Lib. I. c. 69. Lib. VI. c. 25. Lib. IV. c. 12. Suet. *in* Tib. cap. 53.

Caput Secundum.

QUID DE AGRIPPA JUDICANDUM.

Mirum et rei naturae contrarium existimat Abbas *Le Blond* in commentatione de vita numisque Agrippae, apud posteros nomen Agrippae minus laudibus elatum esse quam Maecenatis, licet hic longe minus inter aequales illustris fuerit. Id scilicet perspicuum est inde, quod Maecenatis imago nusquam in numis adest; contra permulti numi cum aurei et argentei, tum aenei non solum Romae sed et in provinciis, nempe in Cyrenaica, Carthagine, Gadibus et Nemausi reperti, Agrippae nomine et capite ornantur (1); atque eo ipso tempore, quo usus numorum imaginibus ornandorum apud Romanos recens admodum erat. Nimirum post C. Julium Caesarem et Triumviros Agrippa primus fuit, cujus caput plerumque una cum Augusti effigie in numis excusum sit. Neque Agrippa a poetis

(1) Vid. *Thesaurus Morellianus*, pag. 138 seq., 450 seq., 635 *Hist. de l'Acad. etc.* Tom. XL. pag. 56.

2

sui aevi neglectus est; Horatius in uno illo carmine (1) eum majori laude prosequitur quam unquam Maecenati tribuerat. Neque Virgilius de eo tacuit (2).

Cur igitur Maecenas Agrippae famâ apud posteros praecelluit? Causam esse opinatur idem vir doctus, quoniam illi cum poetis et literatis aetatis aureae major fuerat necessitudo; ipse autem literis operam navans omnibus erat *praesidium et dulce decus*. Hinc putaverunt viri docti et antiquitatis studiosi sibimet ipsis honori cedere quaecumque in laudem Maecenatis dicerentur, unde scripta ortum duxere, quibus abunde extolleretur, quale, exempli gratia, Meibomii Maecenas. Agrippae contra non nisi eae laudes obtigere, quae rebus ab eo gestis deberi censerentur et si quid Varius de eo peculiare cecinerit nobis aevum abstulit (3). Addi possit, Horatium, qui vituperio adulationis erga Augustum non prorsus vacat, metuisse ne, extollendo Agrippam, Augusti laudes obscuraret (4).

---

(1) *Carm.* Lib. I. *Od.* 6.

(2) Aen. Lib. VIII. vs. 682 et seqq.

(3) *Hist. de l'Acad. des Inscript.* etc. Tom. XL. p. 38 et seq.; A. Weichert *de Lucii Varii et Cassii Parmenidis vita* et *carminibus* Grimae a°. 1836, p. 22 et 55.

(4) Wieland iu *Praef. sua ad Epist.* Lib. II. Ep. I ad Aug. Agrippam ideo credit ab Horatio minus celebratum, quia adversarius fuerit Cassio et Bruto, quo duce ipse Horatius arma pro libertate gesserat. Verum objici possit eandem causam impedire debuisse, quominus iu Augusti honorem carmina faceret poeta. Tum etiam accusatio illa mera formula fuisse videtur.

Quem locum autem in historia tenere Agrippa debuisset, satis superque ex rebus ejus gestis hoc specimine adumbrandis apparebit. Quid universe de Agrippa homine et cive judicandum, jam videamus, licet in tam ardua re persequenda incertos admodum duces habeamus veteres auctores, quamobrem summopere dolenda est commentarii, quem de vita sua scripserat, jactura (1).

Natum esse Agrippam ignobili familia vidimus. At *novitas familiae ei haud obstitit, quominus ad multiplices consulatus triumphosque et complura sacerdotia eniteretur*, ut ait Vellejus (2). Igitur suae ipse fortunae artifex fuisse videtur, quod, quamquam saepius per turbas civiles quam quieto tempore accidere solet, nihilominus semper ingenii praestantiam testatur. Attamen ut sunt mortales et alii interdum invidia moti ortum ignobilem ei exprobrarunt, et ipsum nominis novi puduisse interdum videtur. *Vipsanii* enim *nomen quasi argumentum paternae humilitatis sustulerat, et M. Agrippa dicebatur. Cum defenderet reum, fuit accusator, qui diceret M. Agrippam et quod medium est; volebat Vipsanium intelligi* (3). Fortasse etiam jussu Augusti ne quis Vipsa-

(1) Commentarii hujus mentionem facit Philargyrius ad Virg. *Georg.* Lib. II. vs. 161. Plinius *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 24. n. 9. *adjicit* ait *ipse in aedilitatis suae commemoratione* cet.

(2) Lib. II. cap. 127. Idem scriptor cap. 96 *novitatem suam* ait *multis rebus nobilitaverat.*

(3) Seneca Rhet. *Controv.* Lib. II. c. 12.

niae gentis nomine offenderetur in viro, quem ad summos honores evexerat, eo abstinuit (1).

Quamdiu praejudicata illa opinio mentibus hominum inhaeserit, intelligitur ex fatuo et insulso Caligulae mendacio, qui nollet Agrippae hominis novi nepos dici, sed perhiberet matrem suam ex incesto Augusti cum Julia natam (2).

Unam in judicio de Agrippa ferendo difficultatem parit quod et amicitià cum Augusto junctus fuerit et liberae reipublicae desiderium fovisse videatur, imo si Dioni Cassio credamus libertatis fautor in principis consilio fuerit. Apparet hoc ex oratione coram Augusto habita, qua antiquae reipublicae leges servandas et imperio abstinendum esse suasit, cum in adversas partes iret Maecenas. Licet enim non credibile sit orationem illam iisdem prorsus verbis conscriptam, quae pronunciaverit Agrippa, at potius, ut solent historici veteres, adornatam esse a scriptore, tamen omnibus historicae fidei praeceptis repugnaret, si Dio alias opiniones oratoribus illis tribuisset, quam quas fovisse ipsos appareret.

In ea oratione Agrippa primum reipublicae, deinde ipsius Octaviani commodis optime prospectum fore demonstravit, si vetus regiminis forma restitueretur. Inprimis illud urgebat ab omni propriae utilitatis studio abhorrere suum consilium, cum libera regiminis forma

(1) Conf. Stuart, *Rom. Geschied.* Deel XXI. p. 168.

(2) Suet. *in* Cal. cap. 23.

nobilium et optimatium partes rursus extolleret, a quibus ipse ignobilis respueretur. Porro jurium aequalitatem et antiquam regiminis formam laudabat. Dein Senatui Populoque Romano imperium restituendum, quod uni tantum imminentis periculi vitandi causa commisissent, itaque bonam fidem probandam. Si vero imperium sibi retineret, omnes proceres adversarios et invidos fore. Tum et seditiones magis timendas esse monarchico imperio; tributa quoque et militiam lubentius a populo libero praestari. Denique Augusti valetudinem onus imperii non ferre putabat, et exempla abunde in historiis inveniebat tyrannorum, qui usurpata rerum summa miserum exitum habuissent; at complurium, uti Marii, Syllae, Pompeji, qui opportuno tempore se abdicantes vitam et famam servassent (1). His et aliis argumentis frustra amorem libertatis prodidisse legitur (2).

Eandem mentem jam antea manifestaverat peculiari quadam opportunitate, quae ab Appiano narratur: Marcus (sive Murcus) enim legatus Bruti, imperatore suo mortuo, servi habitu emtus est a Barbula Antonii legato. Romam cum venissent fraus detecta est; tum per Agrippam a Caesare impetravit ut ex proscriptis eximeretur Marcus (3); quod rogasse illo tempore jam audentis animi signum erat.

---

(1) Dio. Cass. Lib. LII. cap. 1—13.

(2) Dio. Cass. l. l. cap. 41.

(3) App. *De Bell. civ.* Lib. IV. cap. 49. Utrique singulares fortunae vices obtigere. Devicto enim Antonio apud Actium,

Jam, qui fieri potuit, ut patriae libertatisque amantissimus vir et ab initio Caesarianis partibus faverit, et postea rerum potito Octaviano fidus adfuerit? Illius rei causae multae aderant; praesertim vero familiaritas, qua a teneris inde cum Octaviano junctus fuerat (1), ita ut in publicam vitam prodeunti vix ei licuerit optionem facere inter partes illas, quibus respublica dilaceraretur. Tum quoque ut de Bruto Cassioque taceam, initio bellorum civilium non ita facile discerni poterat, quo victore melius consultum foret Populo Romano, sive Sexto Pompejo sive Antonio sive Octaviano. Et postea dilapsis prorsus veteris libertatis fulcris specimen sane egregium optimi civis dedit Agrippa, cum, licet non ad ipsius consilia agendi rationem accommodasset Augustus, operam dare tamen non desiit, ut patriae utilis esset. Quam diversus in hoc a multis illis, qui ideo, quod non ad suam voluntatem respublica administrabatur, patriam privarunt beneficiis, quae ei in rerum gestione conferre potuissent. *M. Agrippa* autem, ut verbis utar Senecae, *vir ingentis animi solus ex his, quos civilia bella*

Barbula se servum simulans ab inscio Marco, qui Augusto conciliatus inter Caesarianos duces contra Antonium pugnavit, emtus est; exposita tota re Octaviano, Marcus obtinuit ut sibi par liceret pari referre. Postea eadem fortunae similitudo eos secuta est, cum Romae ambo simul consulatum gesserint.

(1) Nicol. Damasc. *De Inst.* Aug. Nepos *in* Att. c. 12. App. ibid. Lib. V. cap. 31. *Agrippam* *φίλτατον Καίσαρι* vocat. Vid. et Dio Cass. Lib. XLVIII. cap. 20.

claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit (1). Intelligebat noster quantum etiam in monarchico regimine prodesse posset suis consiliis, quae semper multum apud Augustum valebant; iis certe tribuendum est imperium temperatum fuisse; quod luculenter apparet ex Augusti querela, cum imprudenter familiae suae dedecora publicasset et in adulteros Juliae saeviisset, exclamantis fore ut nihil horum errorum accidisset si Agrippa aut Maecenas adhuc vixisset (2). Ipse quoque Augustus ideo fortasse Agrippam supra omnes fere extulit, quod pluris ducebat virum adeo patriae amantem consiliarium et amicum habere quam caeteros, qui a principis gratia omnia exspectarent. Hinc merito maximi momenti ratus est virum tantis laudibus eminentem, quique populo tam gratus erat, sibi conciliare. Eam ob rem ad summos honores eum evexit, ter consulem creari curavit, censoriam et deinde tribuniciam potestatem cum eo communicavit (3), sibi fere parem reddidit auctoritate; imo tentorium sui simile habere usque jussit, quoties una ad bellum ambo proficiscerentur (4). Tandem duplici nuptiarum vinculo primum Marcellae, dein Juliae sibi obstrinxit. Imo jampridem Agrippa ad tantum fastigium pervenit ut Maecenas aliquando illud dictum memorabile pronunciaverit: τηλικοῦτον αὐτὸν (Agrippam)

(1) *Epist.* 91. (2) Seneca *de Benef.* Lib. VI. c. 32.

(3) Vid. supra cap. I. p. 6, 8 et 12.

(4) Dio. Cass. Lib. LIII. cap. 1.

πεποίηκας, ὥστε ἢ γαμβρόν σου γενέσθαι ἢ φονευθῆναι (1).

Familiaritatis illius, qua Augustus ei a teneris junctus fuerat, vinculum semel tantum ruptum videbatur dissidiis ortis cum Marcello, de quibus jam egimus (2). Hoc autem mortuo Imperator statim eum revocavit, et semper majoribus honoribus ornavit. Numquam autem Agrippa potestate sua abusus est; imo semper Augusti in rebus auctor et adjutor dici meruit, nihil alienae gloriae sibi arrogans, honores et opes favore principis tributos non nisi in reipublicae commodum et Imperatoris gloriam convertebat (3), quorum etiam in testamento condendo curam probavit sibi cordi esse (4).

Ex Taciti quodam loco (5) revera socium imperii fuisse illum conjici possit; at cum nusquam hoc diserte me-

---

(1) Dio. Cass. Lib. LIV. cap. 6.

(2) In Capite Primo, p. 10 seq.

(3) Dio. Cass. Lib. LIII. cap. 23.

(4) Dio. Cass. Lib. LIV. cap. 29.

(5) *Hist.* Lib. I *cap.* 15, ubi in oratione Galbae ad Pisonem haec legimus: *Nunc me, Deorum hominumque consensu ad Imperium vocatum, praeclara indoles tua et amor patriae impulit ut Principatum, de quo majores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram, exemplo D. Augusti, qui sororis filium, Marcellum, dein generum, Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem, privignum, in proximo sibi fastigio conlocavit. Sed Augustus in domo successorem quaesivit; ego in Republica.*

moriae proditum legamus et facile explicari possit ille locus, ut respiciat tantum ad Augusti consilium de successore non de socio designando, non affirmare hoc ausimus. Fortasse tamen consilium illud quoque habuit Augustus communicandi cum eo imperium, quod ideo verosimile videtur, quia Tiberium statim post Agrippae mortem socium fecit, quoniam, ut ait Dio (1), in rerum administratione adjutore egebat. De successione ipsi destinata vel exinde constat, quod ejus filios Cajum et Lucium admodum pueros ad eam potentiae exspectationem evexerit (2).

Licet tantis honoribus ab Imperatore fuerit cumulatus, modestum tamen usque se praestitit. Ter enim triumphum accipere recusavit (3), quod quidem non ita magnae laudi cessisse dici possit, quoniam triumphos ab Augusto liberaliter admodum decretos fuisse ex Suetonio (4) discimus; attamen eodem illo tempore a multis honor ille vehementer expetebatur. Neque etiam epistolas ad Senatum misit, quoties victoriam reportasset (5), cum judicaret se auspiciis principis vicisse.

In eo igitur apparebat Agrippae animi praestantia quod sine adulatione imperatori placeret, et hujus favore non nisi ad populo benefaciendum uteretur. Universa civilis ejus

(1) Lib. LIV. cap. 31. Cfr. Tacit. *Ann.* Lib. III. cap. 56.

(2) Dio. Cass. Lib. cit. cap. 18.

(3) Dio. Cass. Lib. XLVIII. cap. 49. Lib. LIV. cap. 11 et 21.

(4) *In* Oct. c. 38.

(5) Dio. Cass. Lib. LIV. cap. 11.

prudentia memorabili dicto illo continetur: „*Concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur* (1)."

Hinc mirum nequaquam accidit mortem Agrippae multos deplorasse, imo neminem optimatium ludis, quos Augustus eo ipso tempore edebat, interesse voluisse, quoniam Agrippae casus adeo non privatim ad ejus domum sed publice ad omnes Romanos spectaret (2).

Unum tantis laudibus vituperium accedit, siquidem viro adeo multis nominibus eminenti vitio verti possit laudis debitae nimia cupiditas; non enim facile ferebat, alios deteriores aliquando sibi praeferri. Hujus animi testimonium adfert Dio (3), qui tradit illum e nonnullorum sententia in bello contra Sextum Pompejum ideo fugatis hostibus porro a praelio abstinuisse ne Caesar absque ullo labore ipsius victoria uteretur. Eandem ob causam apud Vellejum Paterculum (4) dicitur *parendi sed uni scientissimus aliis imperandi cupidus.*

De privata Agrippae vita ceteroque cultu fere nihil notum est. Videtur autem, ut erat militiae assuetus, *rusticitati quam deliciis* et elegantiae *propior* fuisse, unde quoque torvitas quaedam in vultu adpa-

(1) Seneca Ep. 91.

(2) Dio. Cass. Lib. cit. c. 29.

(3) Lib. XLIX. cap. 4.

(4) Lib II. c. 79. Eodem etiam loco multis Agrippam laudibus effert. Dicitur enim: *Agrippa, virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, per omnia extra dilationes positus consultisque facta conjungens.* Cf. supra pag. 19.

rebat (1). Artium tamen et pulcri universe amorem in operibus publicis et urbe ornanda satis prodidit; imo orationem magnificam de tabulis signisque publicandis memorat Plinius (2).

Mores quales fuerint ignoramus. Utut est assentimur utique Dioni, sic judicium suum proferenti:

Ἀγρίππας τά τε ἄλλα ἄριστος τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν ἀνθρώπων διαφανῶς ἐγένετο, καὶ τῇ τοῦ Αὐγούστου φιλίᾳ πρός τε τὸ αὐτῷ ἐκείνῳ καὶ πρὸς τὸ τῷ κοινῷ συμφορώτατον ἐχρήσατο. Ὅσον τε γὰρ τοὺς ἄλλους ἀρετῇ κατεκράτει, τοσοῦτον ἐκείνου ἐθελοντὴς ἡττᾶτο. καὶ πᾶσαν αὐτῷ τὴν ἑαυτοῦ καὶ σοφίαν καὶ ἀνδρείαν ἐς τὰ λυσιτελέστατα παρέχων, πᾶσαν τὴν παρ᾽ ἐκείνου καὶ τιμὴν καὶ δύναμιν ἐς τὸ τοὺς ἄλλους εὐεργετεῖν ἀνήλισκεν. ἀφ᾽ ου δὴ καὶ ταμάλιστα οὔτ᾽ αὐτῷ ποτε τῷ Αὐγούστῳ ἐπαχθὴς, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἐπίφθονος ἐγένετο. ἀλλ᾽ ἐκείνῳ τε τὴν μοναρχίαν, ὡς καὶ δυναστείας ὄντως ἐπιθυμητῇ, συνέστησε, καὶ τὸν δῆμον εὐεργεσίαις, ὡς καὶ δημοτικώτατος, προσεποιήσατο (3).

---

(1) Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXV. § 9. Cfr. Winkelmann, *Histoire de l'art chez les anciens*, Tome II. pag. 396.

(2) l. cit.

(3) Dio. Cass. Lib. LIV. cap. 29.

Caput Tertium.

QUID PRAESTITERIT M. AGRIPPA REIPUBLICAE PER BELLA CIVILIA.

Bellicas Agrippae laudes indaganti primo loco spectandae veniunt ejus res gestae per bellum Perusinum, quod anno u. c. 713 geri coeptum est. Erat tunc Agrippa viginti duos annos natus. Quum autem in eo bello compluribus statim legionibus praefectus fuerit, et consummati potius ducis, quam tironis partes egerit, verosimile est jam pridem ipsum operam militiae navasse. Attamen cum apud scriptores, qui res eorum temporum memoriae prodiderunt, nulla belli, in quo antea versatus sit, mentio fiat, otiosum ducimus ea de re quaestionem instituere. Fortasse jam primis stipendiis Octaviani, sodalis sui, interfuit, quae hic in bello Hispanico meruit (1).

Belli, quod a Perusia nomen habet, auctores fuere

(1) Vid. Suet. *in* Oct. cap. 8; Vell. Pat. Lib. II. cap. 59; Dio Cass. Lib. XLIII. cap. 41.

L. Antonius, hoc anno consul (collega P. Servilio (1) et Fulvia, M. Antonii uxor; minime libertatis vindicandae vel reip. constituendae causa arma ab iis capta fuerant. Licet enim de belli causis varia admodum tradant scriptores, illud constat ex privatis injuriis vindictae studium exarsisse. L. Antonius, vixdum rep. a triumviris constituta et Italiae praediis inter milites divisis, nova discordiae semina sparsit, qua in re eum, ut erat homo fatuus nulliusque momenti, ambitioni Marci fratris inserviisse credibile est. Praetextum tumultus movendi quaerens petierat a Caesare Lucius, ut praeficeretur agrorum divisioni, quantum illa ad Antonii veteranos spectabat, quod ubi praeter spem concessum fuerat subito patronum se ostendit cum possessorum, qui ex agris pulsi erant, tum veteranorum, quibus sors male grata accidisset. Fulvia autem, ut erat ambitiosi et ferocis ingenii mulier, in bello civili movendo majores etiam partes gerebat, quam Lucius; incitabatur cum imperii cupidine, tum odio in Octavianum, cujus turpem causam notat Martialis (2); nec non spem fovebat fore ut maritus ex oriente, ubi aliis amoribus indulgebat, reverti cogeretur (3). Inanes fuere Caesaris conatus ad pacem servandam (4); quippe

(1) Dio Cass. Lib. XLVIII. cap. 4.

(2) *Epigr.* Lib. XI. Ep. 20.

(3) Appian. *de bellis civ.* Lib. V. cap. 19. Dio Cass. Lib. cit. cap. 5-7.

(4) Dio Cass. l. cit. cap. 11 seqq.

numero legionum et egregiis Antonianis ducibus (Ventidio, Asinio Pollione, Caleno, Planco, aliis) confidebant adversarii, quibus Octavianus non nisi Salvidienum Rufum et Agrippam nostrum, adhuc juvenem, opponeret. Primam hic cladem intulit Antonianis prope Sutrium, qua Etruriae urbe occupata Salvidienum, a Ventidio, Pollione et L. Antonio circumventum, periculo liberavit; hoc enim strategemate Lucii copias in se convertit, ex quo periculo ipse vicissim ereptus fuit ope Salvidieni. Tandem postquam omnes vires suas Perusiam, quae praecipua Etruriae urbs erat (1), contulerat Antonius, undique copias collegerunt Caesar, Salvidienus et Agrippa eamque urbem obsederunt. Nec tamen captae a Caesare Perusiae interfuit Agrippa; nimirum Agrippa Salvidienoque majoribus cum copiis a Caesare missis contra Asinium aliosque duces Antonii, qui Perusiam petebant ad obsessis auxilium ferendum, hi veriti ne circumvenirentur Fulginium se contulere, ubi Agrippa eos obsidione clausit (2). Interim Caesar Perusiam, fame oppressam, cepit, plerosque senatores et equites interfici jussit, nonnullis aliis, inter quos fuit L. Antonius, ignovit. Oppidum populandum militi dare statuerat; verum cum Cestius quidam suas aedes incendisset, ventis flamma disperså, urbs tota combusta

(1) Strabo Lib. V. pag 226.

(2) Incertum est an Fulginium ceperit nec ne; verosimile est Agrippam obsidionem solvisse nuncio de Perusiae deditione accepto.

est (1). Post hanc cladem, quae accidit a°. 714 Calvino et Pollione Coss., Antonii legati varia in loca discessere, partim ad M. Antonium, partim ad Ahenobarbum, partim ad S. Pompejum se conferentes; undique eos persequebantur Caesarianae copiae pacem offerentes subjectis, obstinatos autem infestantes; ex quibus Agrippa duabus legionibus, a Planco Cameriae relictis, persuasit ut signa ad se transferrent. Plancus ipse cum Fulvia ex Italia profugit (2).

Sic tota Italia in potestatem Caesaris redacta est; Calenus solummodo circa Alpes exercitum Antonii ducebat, quo sub idem fere tempus mortuo ejus copiae Caesari se dedere. Clade L. Antonii et morte Caleni Caesar undecim legionibus et provinciis duabus, Gallia et Hispania, potitus, in quibus postquam Antonii praefectos amoverat, inque eorum locum suos amicos substituerat, Romam reversus est, ubi festi dies acti sunt, Caesarque ipse habitu triumphali et laureo serto honoratus est (3).

Interim M. Antonius, audito belli Perusini nuncio, ex Asia Brundusium se contulerat, societate inita cum Ahenobarbo. Siciliam eo tempore occupabat Sextus Pompejus, quo Caesaris interfectores et quicunque a Triumviris proscripti fuerant confugerant. Hic eo ma-

(1) Dio Cass. Lib. cit. cap. 14; Appian. Lib. cit. cap. 24-50; Vell. Paterc. Lib. II. cap. 74; Florus Lib. IV. cap. 5.

(2) Appian. l. c. cap. 50.

(3) Appian. ibidem cap. 51; Dio Cass. l. cit. cap. 16.

gis Romanis timendus erat, quoniam e Sicilia majorem partem frumenti accipiebat Urbs, tum etiam propter classem bene armatam, et probe ad pugnas navales exercitatis militibus instructam. Sperans fortasse fore ut aliquando imperii Rom. potiretur, cum Antonio, quum hic Athenis erat, societatem contra Octavianum inire conatus est; at Antonius nondum adversum Octavianum hostiliter se gerere volens non nisi pollicitationes ei largitus est (1). Quum autem Brundusii portas Antonio clausissent Romani, quia adducebat veterem hostem Ahenobarbum, incitavit Pompejum ut Italiam invaderet. Statim hic Menodorum magna cum classe in Sardiniam, quae tum Caesaris erat, misit, ipse Thurios et Consentiam obsedit, dum Antoniani Sipuntem, Ausoniae oppidum, cepere. Caesar, tot locis impugnatus, Agrippam in Ausoniam misit, qui tamen initio propter veteranorum malevolentiam nihil efficere potuit; paulo post vero Sipuntem cepit, Thuriosque a Pompejo liberavit. Caesar ipse interim Brundusium se contulit et eam urbem obsidere parabat, cum ei nunciata est victoria Agrippae (2).

Non diu post pax inter Antonium et Caesarem composita est ope Cocceji (3); ex qua Caesari bellum

(1) Appian. L. cit. cap. 52.

(2) Appian. ibidem cap. 56 seqq.; Dio Cass. Lib. cit. cap. 20 et 28.

(3) Stuart *Romeinsche Gesch.* Deel XIX. pag. 531 legatos, qui hanc pacem composuere, fuisse dicit Maecenatem et Agrippam Caesaris, Antonii Asininm Pollionem et Fontejum Capitonem. At apud nullum scriptorem veterem hoc inveni.

cum Pompejo commissum fuit, quem secundum Appianum (1) in Siciliam revocaverat Antonius. Pompejus autem, statim post illam pacem occupatis etiam Sardinia et Corsica, tantum incusserat Romanis timorem ut Antonius et Caesar a°. 715 cogerentur pactum facere, quo Pompejo quietum Siciliae et Sardiniae imperium relinquerent, dum annonam urbi suppeditaret et Italia cederet (2). Pax autem illa non diu servata est; cum enim rerum angustiis coacti eam inivissent, sequenti jam anno (716) dissidia inter Caesarem et Pompejum orta sunt, se invicem accusantes quod pacti conditiones alter neglexisset. Proditione Menodori, Pompeji liberti, qui insulas Sardiniam et Corsicam, tres legiones, classemque sexaginta navium Caesari tradidit, bellum palam erupit (3). Initio fortuna adversa contra Pompejum pugnavit Caesar; proelio nempe apud Cumas inter Menecratem, Pompejanum ducem, Calvisiumque Sabinum, qui Caesaris classi praefectus erat, quamquam ancipiti Marte pugnatum est, Caesaris tamen multae naves oppressae sunt. Non diu post reliqua classis duabus tempestatibus ita afflicta est, ut non nisi perpaucis navibus superstitibus Caesar calamitatibus obrutus, de causa sua desperare inciperet. Verum animos addidere cum naves et dona, quae sponte sua complures divites offerebant, tum victoriae ab Agrippa de Aquitanis repor-

(1) Lib. cit. Cap. 63.

(2) Appian. ibidem Cap. 61-72.

(3) Dio Cass. Lib. cit. cap. 45; Appian. l. l. cap. 77 seqq.

tatae (1). Hic simulatque rebus bellicis manum admovit, apparuit ipsum unum idoneum esse qui remp. ab his periculis servaret. Eam viri praestantiam probe cognoverat Caesar, quippe eum statim e Gallia revocavit, Consulem cum L. Servilio Gallo anno hocce 716 creandum curavit, triumphi honorem obtulit, quem tamen recusavit, eique novae apparandae classis negotium dedit (2). Tantam curam ei muneri Agrippa impendit, quantam ante eum nemo. Neque naves neque milites deerant, sive sponte fuerint oblati, sive Italicas civitates ad eos praestandos coegerit Caesar, quem Suetonius refert XX servorum millia aere ut videtur publico emisse et libertate donasse (3). Verum militiae navalis plane rudes erant novae illae copiae. Opus igitur erat egregio duce, qui ipsos erudiret. Simul videbatur Italia satis amplo portu carere, qui classem ingentem, qualis nunc parabatur, recipere posset. Utrique incommodo medelam invenit noster, exstruendo novo portu prope Bajas, quem Julium appellavit. Nimirum qui a promontorio Miseno usque ad Puteolos inter lacum Lucrinum et mare Tyrrhenum erat aggerem (ea latitudine quantam currus latus occuparet, longitudine autem octo stadiorum (4)) duobus locis perfodi jussit, quibus scilicet aditus in lacum navibus

(1) Appian. l. l. cap. 81—92; Dio Cass. l. l. cap. 45—48.

(2) Dio Cass. l. c. cap. 49.

(3) *In* Oct. cap. 16.

(4) Strabo Lib. V. pag. 245.

pateret. Deinde Avernum lacum longius a mare remotum fossà cum Lucrino junxit, simul id agens ut paludes ibi stagnantes aqua marina immissa tolleret. Quo eodem consilio silvas circa Avernum lacum cecidisse videtur. Dum ita utilibus maxime rebus curam impendebat, non impediri se passus est incolarum superstitione aut sacerdotum astutiis, qui prodigia et Deorum iram nunciabant ob violatam loci sanctitatem. Hûc referendum est quod narratur statuam cujusdam Numinis, sive illud Avernus sive Calypso vocatum fuerit, sudasse. Ne tamen religiosos homines offenderet piacula procurari jussit (1).

Postquam per totam aestatem huic portui construendo operam navaverat, hiberno tempore usus est ad novos milites et remiges exercitandos (2). Id peculiare de exercitationibus istis narrat Servius (3), auctorem sequens Hadrianum, eum alto mari et tempestate aborta, solitum fuisse naves emittere, ut eos consuetudine discriminis fortiores redderet, iisque porro effecisse ut remiges praesertim ejus peritissimos haberet quod Graeci vocant πρὸς ἀντιδιαστολήν, id est, naves urgendi proxime ad ventum adversum. Tandem initio anni 718 classe parata, et aucta CXX navibus Antonii, decemque pha-

---

(1) Dio Cass. l. cit. cap. 49—51; Philarg. *ad* Virg. *Georg.* II. vs. 162; Suet. l. cit. cf. et Strabo Lib. V. pag. 244.

(2) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 79.

(3) *Ad* Virg. *Aen.* Lib. VIII. vs. 682.

selis, ab Octavia datis, novum damnum expertus est Caesar, cum Menodorus iterum cum septem legionibus ad Pompejum transfugisset; quod cum impedire neglexisset Calvisius, eam ob causam ei praefecturam ademit et in Agrippam universae classis imperium transtulit (1). Calendis Juliis Caesar Puteolis solvit, Siciliam invadere cupiens; denuo tamen ei fortuna adversa obtigit, tertio jam die tempestate vehementi orta qua multas naves amisit; classe vero in unum collecta ipse in Italiam se contulit ut cum parte classis, cui imperabat Statilius Taurus, prope Tauromenium in Siciliam incurreret, relicto Agrippa in insula Strongyle, unde hic Hieram trajecit eamque insulam in suam potestatem redegit, hoc quidem consilio ut sequenti die oppugnaret Mylas, ubi quadraginta naves Pompeji, Demochare cum praefecto, degebant. Pompejus statim centum et quindecim naves auxilio misit, quae cum illis ne jungerentur impedire non potuit Agrippa (2). Attamen de Pompejanis egregiam reportavit victoriam, quam imprimis debuit navium soliditati et altitudini, quum hostes parvulas et leviores haberent, quae facile obruebantur. Ita ipsum Agrippam memorant navem Papiae praefecti perfregisse, qui ipse vix effugerit. Hostibus fugatis apparuit horum XXX, Caesaris non nisi V naves periisse. A persequendis Pompejanis autem

(1) Appian. l. s. c. cap. 95 et 96; Dio Cass. Lib. XLIX. cap. 1.

(2) Appian. l. l. cap. 96—106.

abstinuit Agrippa, metuens ne nimis vexaret milites et classem in vada duceret (1).

Primis quidem diebus post hanc victoriam nondum fortuna secunda usus est Caesar, quippe qui, existimans Pompejum adhuc prope Mylas retineri, Tauromenium appulit et copias suas in oram eduxit, ubi mox a Pompejo vexatus, magnam partem exercitus amisit parumque abfuit quin ipse periret. Parvo admodum comitatu in Italiam fugit, exercitum Cornificio commisso. Interea Agrippa Tyndaridem urbem frustra obsederat, sed alia quaedam oppida occuparat, quo facto Mylas rediit. Exinde Caesar vires in unum jungere studuit, cum Cornificius per montes et vada, ab hostibus infestatus, septemtrionalem peteret Siciliae oram, cui Agrippa tres legiones duce Laronio misit, quarum ope Cornificius incolumis advenire potuit. Tandem junctis copiis et Tyndaride capta aditus in Siciliam Caesarianis patuit, quam mox Caesar et Lepidus invasere (2).

Paulo post proelio insigni grave illud bellum ad exitum perductum est. Pompejus nempe cum inopia annonae et commeatus, tum metu ne milites deficerent sui, de rerum summa decertare uno proelio navali statuit, quod non solum Octaviano obtulit, sed diem etiam et locum pugnae adsignavit. Caesar, quamquam ipse a rebus maritimis alienus, Agrippae virtute fretus,

(1) Appian. l. cit. cap. 106 seqq.; Dio Cass. l. l. cap. 1—1; Oros. Lib. VI. cap. 18.

(2) Appian. ibidem cap. 115 et seqq ; Dio Cass. l. cit. cap. 1—9.

pugnam oblatam accepit. Constituto die classes, singulae trecenarum navium, in conspectum venere, interque Mylas et Naulochum pugna commissa est. Utrimque acriter pugnatum est, diuque fortuna dubia fuit. Tandem vero e turrium coloribus, quod solum inter utramque classem discrimen erat, Agrippa ut vidit plures Pompejanas naves periisse, suos cohortatus proximos, majori impetu in hostes irruit eosque in fugam vertit. Vix tamen XVII navibus Pompeji contigit evadere; reliquae cum in litus pulsae, vel etiam mersae aut incensae sunt, tum Caesarianis in deditionem venere. Agrippa non nisi tres naves amisit (1). Scriptores veteres de navium numero, quem Pompejus hoc proelio amiserit, nonnihil inter se differunt. Secundum Appianum (2) mersae sunt Pompeji naves XXVIII, reliquae aut incensae aut captae aut litore fractae solaeque XVII effugere. Orosius tradit (3) Agrippam CLXIII naves hostiles demersisse vel cepisse, Pompejum cum XVII navibus elapsum evasisse. Tandem Florus (4), more suo magniloquus, CCCL navium dominum Pompejum cum sex septemve effugisse.

Hocce proelio primum usi sunt Caesariani nova machina, quam Agrippa excogitaverat, quaeque multum

(1) Dio Cass. Lib. l. cap. 8—10; Appian. l. l. cap. 118 et seqq.; Vell. Paterc. Lib. II. cap. 79.

(2) Lib. laud. cap. 120.

(3) Lib. VI. cap. 18.

(4) Lib. IV. cap. 8.

contulit ad expugnandas naves hostiles. Constabat illa machina, harpago dicta, trabe quinquecubitali, ferro inclusa, utrimque in capite circulo praedita, in quorum altero ipse haerebat harpago, uncus ferreus, in altero multi funes erant alligati, quibus machinae attrahebant harpagonem, balistae ope in hostilem navem immissum (1). Ita in immensum aucta est vis manus illius ferreae, qua jam olim usi erant Romani ad naves hostium rapiendas, verum non nisi pugna jam cominus gesta, siquidem, ad eam jaciendam et retinendam simul, catenam adhibebant (2). Agrippae machina autem praesertim eo praestabat quod e longinquo in hostiles naves involans iisque adhaerens, retraheretur restibus, nec praecidi ab iis, qui ea infestabantur, propter tignum ferro cinctum facile posset, nec pertingi usque ad restes propter longitudinem. Postea quidem didicere milites sese ab his machinis tutos praestare per falcatas hastas; hoc vero excogitare non potuerant Pompejani, quibus enim nova plane res esset (3).

---

(1) Appian. l. l. cap. 118.

(2) Vid. Liv. Lib. XXX. cap. 10. Inter ferreas manus et harpagones nullum discrimen esse patet ex Curtio Lib. IV. cap. 2. Cf. Front. *Strateg.* Lib. II. cap. 3 n. 31; Caesar *de bello civ.* Lib. I. cap. 57; Plin. *Hist. Nat.* Lib. VII. § 57, qui Periclem inventorem harpagonis fuisse dicit. Cum igitur machina Agrippae magis composita esset et a vulgari harpagone differret temere vir celeb. Freinshemius ait: *inconsideranter Appianus Agrippam inventorem facit.* Vid. ejus nota ad locum Flori Lib. II. cap. 2:9.

(3) Appian. l. l. cap. 119.

Proelio confectus Pompejus Messanam profugit, eoque Plennium, suarum copiarum terrestrium ducem, arcessivit; sed ante ejus adventum urbe relicta ad Antonium profectus est. Plennius urbem, quam deinde Caesaris jussu Agrippa simul cum Lepido obsedit, non diu tenuit. Nam contra Agrippae sententiam, qui Caesaris adventum exspectari voluisset, Lepidus ea conditione urbe potitus est, ut ipsa diriperetur et praedam inter se distribuerent copiae utraeque (1).

Tam felici eventu bellum istud, quod Romae exitium ferme minitabatur, desiit, quo Sicilia triumviris subjecta est, neo maria amplius a Pompejanis piratis infestabantur. Quanti Agrippae operam fecerit Caesar perpicuum est ex insigni honore ipsi tributo; nempe sive ex Senatus Consulto (2) sive suo Marte ipsi jus tribuit ferendi coronam classicam sive rostratam, qua de re scriptores non facile in concordiam redigi possunt. Hoc constat eam rostris navium ornatam fuisse (3). Ab ea autem navali corona, quae teste Gellio (4) tribui soleret ei, qui primus in hostium navem armatus vi transiliisset diversa fuisse videtur; nimirum eximium et raro tributum insigne testantur scriptores; in eo tantum diversi, quod Plinius (5) dicat Varronem

---

(1) Appian. l. cit. cap. 122; Dio Cass. l. c. cap. 11.

(2) Dio Cass. l. c. cap. 14.

(3) Virg. *Aen.* Lib. VIII. vs. 684; Plin. *Hist Nat.* Lib. XVI. § 3.

(4) *Noct. Att.* Lib. V. cap. 6.

(5) Plin. l. l. et Lib. VII. § 31.

propter res gestas in bello piratico eo donatum fuisse a Magno Pompejo, alii neminem ante Agrippam eum honorem adeptum esse tradunt (1). Utut est in gemmis corona rostrata ornatus depingi solet (2).

Postquam Sextus Pompejus victus fuerat, et Lepidus a copiis suis relictus invitus in privatam vitam redierat, visae sunt per paucos annos quiescere turbae intestinae; verum discordiae semina in dies plura spargebantur, eoque pervenerat resp. ut quaestio tantum ageretur, utri imperatori pareret, Antonio an Caesari. Quae interea gesserit Agrippa alio loco videbimus. Jam de ultimo illo bello civili, quod diremit, agemus.

Imperii adfectatores alter alterum variis de rebus criminabantur. Accusabat Antonius Caesarem, quod Lepidum magistratu exuisset, ejusque et S. Pompeji provincias usurpasset, et quod Italica praedia suis tantum militibus distribuisset. Caesar Antonio objiciebat multa alia tum potissimum, quod Aegyptum teneret, Pompejum contra ipsius jussa interfecisset, Armeniae regem per fraudem cepisset; praeterea nuptias Cleopatrae reginae ei exprobrabat; et sua jura laesa esse perhibebat, quod Antonius Caesarionem tanquam Julii Caesaris filium agnovisset, qua re Octavianus filius adoptatus altero demum loco in familia sua veniret (3).

---

(1) Livius Epit. 129; Dio Cass. l. c.; Festus in fragm. p. 10; Vell. Paterc. Lib. II. cap. 81; Seneca *de Benef.* Lib. III. cap. 32.

(2) Vid. numisma apud Beger Tom. II. pag. 595.

(3) Dio Cass. Lib. L. cap. 1 seq. Plut. *in* Ant. cap. 54. seq.

Tales fuere belli praetextus, quod reapse utriusque ambitione excitatum fuerat. Illud etiam in hoc certamine peculiare fuit quod tunc primum Occidentis populi contra orientalem orbem Romanum arma intulerunt, unde apparuit magnam generi humano decernendam esse litem; quippe humanitatis maxime intererat utrum Oriens Occidenti pareret an Orienti Occidens. Ad gravem illam quaestionem dirimendam noster sane plurimum contulit.

Anno Urbis Cond. 722 Cn. Domitio et Sossio Coss. bellum per solemnem formulam Cleopatrae, exterae reginae, reapse M. Antonio indictum est (1). Totus autem ille annus in apparatibus bellicis consumtus est, qui ingentes fuisse videntur (2). Antonii exercitus constabat peditum centum, equitum duodecim millibus, quibus aderant praeterea copiae auxiliares, quarum alias reges belli participes miserant, alias ipsi ducebant. Classis ejus erat D navium, quarum multae octo et decem transtrorum. Octaviano minor erat exercitus; habuit enim LXXX millia peditum, XII equitum classemque CC navium, sed quae leviores adeoque agiliores fuere (3). Nec parva laus id Caesarianae classis ducibus fuit, quod pro vario hostium armatu varie suas naves instruxerant; nempe alio prorsus modo, quam bello Siculo dimicaturi (4). Hic quoque Agrippae

(1) Dio Cass. Lib. l. cap. 5. (2) Dio l.l. cap. 6.

(3) Plut. *in* Ant. cap. 60 seqq. Florus Lib. IV. cap. 11.

(4) Vid. pag. 36.

opera non facile caruissent, cujus etiam prudentia factum est, ut Antonianis multo exercitatiores essent milites classiarii.

Dum Octavianus exercitum suum Brundusii colligebat, Agrippa verno tempore anni 723 primum feliciter cum hoste dimicavit. Praemissus enim a Caesare ad hostes vexandos, oram Peloponnesi hic illic invasit, ibique Methonam urbem, quamquam validissimo Antonii praesidio munitam, oppugnavit cepitque, qua opportunitate Bogus, Mauritaniae rex, occubuit (1). Multas porro naves onerarias cepit Agrippa, tandemque Corcyram insulam expugnavit (2); quibus rebus gestis Brundusium rediit, unde jam Caesar, cui fortuna secunda Agrippae animos auxerat, cum copiis suis mare Ionium trajecit, et Actium navigavit (ubi pars major Antonianae classis stationem habebat), postquam prope montes Ceraunicos copiae terrestres escenderant duce Tauro. Toto exercitu ad septemtrionalem sinum Ambracii juncto, occupavit locum, ubi Nicopolis postea condita est, ibique castra posuit, unde Actium terra marique intueretur et obsideret (3).

Antonius, audito adventu Caesaris, statim Actium venit, ibique totum suum exercitum collegit.

---

(1) Dio Cass. Lib. L. cap. 11; Oros. Lib. VI. cap. 19; Strabo Lib. VIII. pag. 359.

(2) Oros. Ibidem. Corcyram postea ipsum Octavianum occupasse auctor est Dio Cass. Lib. cit. cap. 12.

(3) Dio Cass. Lib. cit. cap. 11 et 12.

Eo tempore Agrippa Leucadem advectus, insulam illam navesque, quae ibi erant, cepit; deinde navali pugna vicit Q. Nasidium; Patraeque et Corinthus ipsi cessere (1). Sic noster *ante ultimum discrimen classem hostium bis superavit* (2).

Hisce cladibus et defectione multorum suorum, inter quos plurimi nobiles Romani et barbari reges fuere, adfectum Antonium prorsus animus defecit; mox nova calamitas, qua Agrippa eum affecit, de successu hujus belli desperare coegit. Etenim inexspectato suo reditu e Leucade Agrippa frustravit insidias, quas Sosius, Antonii legatus, struxerat L. Aruntio, qui cum paucis navibus Caesarianorum stationem servabat. Densa enim nebula et diluculo matutino usus, proxime Aruntium presserat et fugaverat; at Agrippa subito cum classe interveniens omnem victoriae fructum abstulit, imo naves aliquot cepit; Sosius ipse et rex Ciliciae Tarcondimotus occubuere (3).

Tandem ad IV Nonas septembris hujus anni proelium illud memorabile, quod ab Actio nomen habet, commissum est:

Classis Antonii jam erat CLXX navium, Caesaris CCXXX rostratarum, XXX sine rostris, quibus octo legiones vehebantur, nec non cohortes quinque praeto-

---

(1) Dio Cass. ibidem cap. 13.

(2) Ut ait Vell. Pat. Lib. II. cap. 81.

(3) Dio Cass. Lib. l. cap. 14.

riae (1). Classem Antonii conscenderant XX mille gravis armaturae milites MM que sagittarii (2).

Ea rerum conditione vix ab Antonio exspectari poterat, ut proelio navali rerum summam committeret, praesertim cum exercitus pedester duce Canidio in ora collocatus nullam adhuc cladem passus esset. Hujus etiam consilio, quod Plutarchus (3) refert, si obsecutus esset, copias suas in Thraciam Macedoniamque duxisset; sed videtur hic quoque Cleopatrae artibus in perniciem suam fuisse pellectus.

Ab altera parte exspectabatur pugna navalis, de qua ineunda varia consilia agitata sunt. Octavianus ipse opinabatur hostibus liberum relinquendum esse exitum e stationibus; fretus enim suarum navium celeritate non dubitabat quin facile a tergo hostes adsequerentur. Agrippa autem illud consilium dissuasit; opportunitatem enim pulcherrimam videbat facilis victoriae reportandae; quae fortasse e manibus elaberetur, si hostes, qui velis utebantur (4), alium locum petiissent; praeterea die superiori multis imbribus et turbine afflicta fuerat classis Antonii, dum Octavianae naves nullo damno affectae fuerant (5).

Antonius, acie instructa extra ostium sinus Ambracii,

(1) Oros. Lib. VI. cap. 19.

(2) Plut. *in* Ant. cap. 64.

(3) Ibidem cap. 63.

(4) Caesariani videntur solis remis usi fuisse. Dio Cass. l. l. cap. 32.

(5) Dio Cass. ibidem cap. 31.

imperium classis cornu dextri Gellio Poplicolae commisit; sinistri P. Sosio; mediae parti M. Octavius et M. Justeius praefecti sub Antonio fuere (1). Navibus Octaviani in cornu dextro imperabat M. Lurius, in sinistro L. Aruntius, *Agrippae omne classici certaminis arbitrium* relictum est (2).

Circa meridiem proelium committi incepit, spectantibus utrimque otiose terrestribus copiis, quibus Canidius et Statilius Taurus praeerant. Diu atque acriter utraeque partes dimicarunt, nec alterutrae superiores evadere potuere. Tandem Agrippa cornu sinistrum expandi jussit, ut hostes circumvenirentur, quo strategemate acies Poplicolae conturbata est. Haec dum gerebantur, derepente Cleopatra, diuturnae incerti eventus exspectationis pertaesa, in fugam conversa est, et nullo signo dato versus Peloponnesum vela fecit; quam Antonius statim secutus est, licet adhuc compari marte pugnaretur (3). Non diu post Antoniani multi, a duce suo relictos cum se viderent, animo dejecti effugere, turres et navium armamenta in mare projicientes ne haec fugam impedirent. Caesariani eos non insecuti sunt, sed potius adversus reliquos hostibus resistentes pugnam continuarunt, unde diuturnum et vehemens certamen

---

(1) Plut. *in* Ant. c. 65.

(2) Vell. Paterc. Lib. II. cap. 85. Secundum Plut. c. 65 cornu dextro Octavianus ipse, Agrippa sinistro praefecti fuere.

(3) Plut *in* Ant. cap. 66; Dio Cass. Lib. c. cap. 33.

exstitit (1). Tandem Agrippa novam rebus faciem dedit; nempe usus est arte navali, quam supra (2) descripsimus. Proxime enim ad ventum contrarium Aquilonem navigans, fuga simulata portum versus Actiacum appulit, quo itinere, cum minus exercitati Antoniani graviter eum insequi conarentur, subito proras vertit, et vento quam maxime secundo in ipsorum naves incurrit, et telis flammisque in eas missis victoriam consecutus est (3). Quinque millia militum Antonii cecidisse, navesque trecenas captas fuisse auctor est Plutarchus (4). Secundum Orosium (5) ex victis XII millia cecidere, VI millia vulnerata sunt, e quibus mille, dum curabantur, defecere.

Exercitus terrester paulo post a Canidio quoque desertus Octaviano se dedidit.

Hac demum victoria Romanae Reip. quies parta est; neque hujus loci est memorare, quae exinde Octaviano gerenda restabant contra Antonianarum partium reliquias, quas in Aegypto profligavit. Praeterea Agrippa bellicis curis vacuus Romam missus est et Italiae praefectus, de qua administratione mox dicemus.

Mentio tantum hoc capite adhuc facienda est singularis honoris, quo ornatus est noster propter hanc ipsam victoriam. Nimirum legimus apud Dionem Cas-

---

(1) Dio Cass. ibidem.
(2) Pag. 35.
(3) Serv. *ad Aen.* Lib. VIII. vs. 682.
(4) *In* Ant. cap. 68.
(5) Lib. VI. cap. 19.

sium (1) Octavianum cum biennio post de Cleopatra triumpharet ei dedisse σημεῖον κυανοειδὲς ναυκρατητικὸν, vexillum coeruleum navale, quam rem nullus alius veterum scriptorum memorat praeter Suetonium (2), qui tamen errore ut videtur Siculae victoriae hoc munus tribuit, nisi bis illud acceperit Agrippa, uti conjicit Le Blond (3).

---

(1) Lib. LI. cap. 21.

(2) *In* Oct. cap. 25.

(3) *Histoire de l'Académie des Inscriptions et belles Lettres.* Tom. XL. pag. 50.

Caput Quartum.

QUID PER BELLA EXTERNA REIPUBLICAE PRAESTITERIT M. AGRIPPA.

Vidimus jam quanta prudentia bellica usus fuerit Agrippa in civilibus turbis; pauciora dicenda erunt de iis, quae contra exteros imperii Romani hostes gessit. Enimvero de his verborum parci sunt veteres scriptores. Attamen ex parvulis annotationibus, quas reperimus, satis constat imperii ditionem auxisse et fortiter res gessisse Agrippam.

Primo loco memorandum venit bellum Gallicum, vel potius duae expeditiones, quas in Gallia intra biennium ad finem perduxit. Licet enim non diserte tradat Dio (1) quo tempore unumquidque gestum sit, conjicere tamen fas est, post pacem Brundusinam et praeturam suam (a°. U. C. 714) antequam consul creare-

(1) Lib. XLVIII. cap. 49.

tur et classi praeficeretur (a°. U. C. 717) illas eum expeditiones peregisse. Videtur magnis tumultibus Gallia eo tempore agitata fuisse, quippe quae aegre adhuc Romanorum dominationem ferret. Initio agmen duxit in Galliam Belgicam sive Germaniam inferiorem, de quo itinere nihil aliud legimus nisi eum, Romanorum secundum, Rhenum trajecisse (1), et Ubios in societatem populi Romani accepisse (2). Habitaverat illa gens hucusque trans Rhenum et frequentibus Suevorum excursionibus premebatur (3). Agrippae autem curis sedem invenit inter Rhenum et Mosam. Conditum in hac regione postea oppidum Ubiorum, cui nomen magis celebratum dedit Agrippina, Germanici filia, Agrippae neptis ibi nata (4). Ceterum quibusnam Germaniae gentibus bellum intulerit plane ignotum est.

Majoris momenti videtur fuisse tumultus Aquitaniae, ubi secundum Eutropium (5) *rem prospere gessit.* Appianus (6) eum νίκην ἐπιφανῆ de Gallis Aquitanis reportasse ait, qua victoria nunciata Caesar egregie lae-

---

(1) C. Julius Caesar primus Rhenum ponte facto trajecit. Vid. Dio Cass. Lib. XXXIX. cap. 48; Caesar *de B. Gallico.* Lib. IV. cap. 17 seq.

(2) Dio Cass. Lib. XLVIII. cap. 49. Tacit. *Ann.* Lib. XII. cap. 27.

(3) Caesar. *de B. Gallico.* Lib. IV. cap. 3, 16, 19.

(4) Tac. l. cit. *Histoire de l'Académie des Inscriptions* cet. Tom. XL. pag. 43.

(5) Lib. VII. cap. 5.

(6) *De bell. civ.* Lib. V. cap. 92.

tatus fuerit. Eo magis mirandum est apud veteres auctores non plura de ea victoria inveniri, quod redeunti Agrippae triumphus eam ob causam oblatus fuerat, quem vero recusavit sive modestia sive quod turpe duceret rebus a Caesare male gestis (contra S. Pompejum) se gloria extolli (1).

Bello contra Pompejum confecto, anno u. c. 719 Agrippa in nova expeditione Caesari comes adfuit, nempe in Illyricum, cujus incolae numquam prorsus subjecti fuerant Romanorum dominationi (2). Proxime Alpes in ea regione habitabant Japydes sive Japodes, ferox et bello valida gens imo latronum vitae adsueta, quae nuper Italiam frequentibus incursionibus vexaverat. Tergestum adeo coloniam Romanam diripuerat et ad Aquileiae usque moenia progressa est. Res maximi in hac gente compescenda laboris fuit urbem Metulum, in montibus sitam, oppugnare, quo omnes milites et arma congesserant Japydes. Dejectis primum moenibus urbem intrare prohibiti sunt Romani, quod obsessi novam circummunitionem exstruxerant. Constituit exinde Caesar ope pontium subliciorum s. pensilium oppidum invadere, cujus rei sane periculosissima erat ratio; etenim pontes illi ex altis turribus in moenia hostium demittebantur. Hac opportunitate et Caesar et noster egregiae fortitudinis exemplum dedere; cum enim tribus jam pontibus fractis pondere multorum armatorum

(1) Dio Cass. l. s. cit.

(2) App. ibidem cap. ult.

militum, quo premebantur, recusarent milites quartum pontem adscendere, ipse Octavianus cum Agrippa, et alio duce (1), nec non corporis custode (2) periculoso itinere praeivere; quo factum est ut magno impetu omnes pontem invaderent, et hic quoque frangeretur. Hac pontis ruina omnes alte cecidere, multi periere aut gravibus vulneribus adfecti sunt. At Caesar, licet ipse manibus ac dextro crure saucius, nequaquam animo defecit; statim turrim rursus adscendit utque novus pons fieret imperavit. Audentia Romanorum perculsis Barbaris Caesari dedita est urbs, qui quinquaginta obsides accepit; verum jussi arma ponere, indignatione accensi noctu praesidium, quod Romani in urbem miserant, interfecere, aedibusque incensis ipsi uxoribus liberisque suis manus intulere, denique semetipsos internecione occidere; ita ut Octavianus neque praedam neque captivos consequi potuerit. Reliqui regionis incolae se deinde omnes Romanis dedidere (3).

Inde Octavianus arma contra Pannonios vertit, qui nondum Romanorum imperio paruerant. Urbe Sege-

(1) Quem App. *de Reb. Ill.* cap. 20. Hieronem vocat; ubi fortasse legendum est *Νέρων*. Vid. Adn. viri cel. Schweigh. ad l. cit.

(2) Nomen fuisse videtur L. Scaevola. Vid. Adnot. cel. Schweigh. ad locum App. cit.

(3) App. *de Reb. Ill.* c. 18-21; qui unus mentionem Agrippae hac in expeditione facit. Vid. de bello cum Japydibus Dio Cass. Lib. XLIX. c. 35. Florus L. IV. c. 12. 6. Suet. *in* Oct. c. 20. Liv. *Epit.* 131. Strabo. Lib. VII. pag. 314.

stica, non nisi multa itineris incommoda passus et postquam per triginta dies eam obsederat, tandem potitus, totam regionem armis subegit (1). An huic expeditioni interfuerit Agrippa necne, incertum est. Verum non est quod credamus Agrippam ab amico suo discessisse post bellum contra Japydes, sed potius ad finem usque expeditionum in illis provinciis comitem assiduum fuisse Octaviano. Fortasse Agrippae consilio usus, quod semper multum apud Caesarem valebat, hic egregiam clementiam erga Pannonios probavit. Haec enim eo certe tempore a Caesaris indole aliena videbatur, quam ob rem insigniter laudant eam scriptores.

Anno tamen 720 u. c. Caesare Romam reverso Pannonii iterum rebellarunt, et in Dalmatia etiam seditio orta est. Agrippam contra Dalmatas praemissum paulo post Caesar ipse cum exercitu secutus est, quem partim sub Gemino Pannoniis opposuit, partim duce Valerio Messala ad subigendos Salassos, Alpium incolas, misit. Cum reliquis copiis ipse et Agrippa contra Dalmatas profecti sunt. Horum regionis magnam partem cum jam in potestatem redegerat, obsessa Setovia urbe, lapidis ictu vulneratus Caesar ideo Romam reversus est, Statilio Tauro ad conficiendum bellum relicto. Cum autem vix credendum sit Agrippam, ducem victoriis insignem, Tauro inferiorem locum ob-

(1) Dio Cass. Lib. XLIX. cap. 36; App. *de reb. Ill.* cap. 22—24.

tinuisse, tutius opinabimur cum Caesare Romam reversum fuisse (1).

Biennio post, Actiacum proelium confectum est, de quo superiori capite egimus; dein Octavianus (a°. 723 u. c.) bello cum Antonio Alexandriae ad finem perducto summâ rerum potitus est. Ab eo inde tempore usque ad annum 734 Agrippa bellicis curis vacuus fuit. Tunc vero iterum gladium arripuit, et cum exercitu in Galliam profectus tumultus, ibi inter Gallos et Celtas ortos, sedavit, unde in Hispaniam transiit (2),

(1) App. *de reb. Ill.* cap. 25—27; Dio Cass. Lib. XLIX. cap. 38, qui unus Agrippae in hoc bello meminit.

(2) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 11. Mirum videri possit hic duo populorum nomina sibi opponi, quibus vulgo eadem gens designari soleat. Vid. Caesar *de bello Gall.* Lib. I. cap. I. At saepissime κελτοὺς a Dione appellari, quos alii scriptores Germanos vocant, certum est. Vid. Lib. XXXVIII. cap. 35, Lib. LIII. cap. 12, 26. cet. Caeterum hac de re multa disputari possent. Amed. Thierry quidem in *Introd. ad Gallorum historiam* probare conatus est, antiquissimos Galliae incolas fuisse Gallos, recentiori vero aetate Cimmerios sivi Cimbros, ejusdem originis, eam regionem invasisse, ita quidem ut, quamquam multis locis inter se commixti fuerint, illi fere meridionales, hi autem septentrionales Galliae regiones habitaverint. Nomen Celtarum, quod *sylvarum incolas* significat, non toti nationi, sed confoederatis quibusdam Galliae australis gentibus proprium fuit, unde pro universae nationis nomine Gracci Phocaeenses acceperunt. Cf. Strabo Lib. IV. pag. 189. Hi autem Celtae, auctore Polybio Lib. III. p. 191. Par. f°. 1609 circa Narbonem, secundum Diod. Sic. Lib. V. cap. 32. supra Massiliam in mediterraneis regionibus inter Alpes et Pyrena-

qua in regione graves seditiones Cantabri commoverant. Haec enim gens, montes septentrionales Hispaniae incolens et vicini Astures, *indoctus ferre juga Romanorum* (1), ex quo Octavianus rerum potitus erat, saepe jam a Romanis defecerant et multorum ducum imo Caesaris ipsius prudentiam fefellerant, donec tandem ab Agrippa in Romanorum potestatem redacti fuere (2).

Nimirum a°. 725 a Statilio Tauro profligati iterum a°. 729 rebellavere, quamobrem Augustus contra eos profectus erat, ipsoque aegrotante, ejus legati Antistius et T. Carisius eos non sine magno labore ægre subegerant (3). Sequenti anno multis Romanis militibus dolo occisis in libertatem se vindicare conati sunt; at hujus audaciae saevissimas poenas dederunt, L. Aemilio provinciae praeposito (4).

Biennio post Astures Cantabrique novam rebellionem moverunt, et a Furnio in servitutem redacti sunt;

---

eum, teste Aristotele *Gen. anim.* Lib. II. cap. 8. supra Iberiam habitarunt, ut adeo omnem regionem inter Liguriam, Garumnam fluvium, montes Arvernos et Oceanum tenuisse videantur. Hoc nostro loco igitur per Celtas aut Cimbri illi, quo Belgae referendi sunt, aut hi meridionales Galliae incolae videntur intelligendi: quod mihi quidem eo magis placet, quod Agrippam inde in Hispaniam transiisse legimus.

(1) Horat. *Carm.* Lib. II. od. 6.

(2) Unde Horatius *Carm.* Lib. III. od. 8. canit:
Servit Hispanae vetus hostis orae,
Cantaber, serâ domitus catena.

(3) Dio Cass. Lib. LIII. cap. 25; Oros. Lib. VI. cap. 21.

(4) Dio Cass. l. c. c. 29.

pauci tamen vivi in Romanorum potestatem venerant; cum plerique, libertatis spe amissa, sibimetipsi mortem consciverint (1).

Seditionis, cujus sedandae gratia noster in Hispaniam exercitum duxit, causa hujusmodi fuit. Cantabri, qui superiori bello captivi Romam abducti fuerant, omnes unâ constitutâ nocte dominis suis interfectis patriam repetiere, ibique cum civibus suis, quos ad defectionem pellexerant, praesidia Romana adoriri conati sunt. Ardua sane res erat illos homines, quibus nulla spes salutis, si capti forent, supererat, quique ideo summa animorum contentione bellum gerebant, subigere. Praeterea nova calamitate Agrippa obruebatur; scilicet veterani, belli pertaesi, et hostes bellicosos veniaeque dandae ignaros reformidantes, Agrippae parere recusabant. At Agrippa huic quoque adversae fortunae egregie restitit; et simul fortitudinem erga hostes, justitiam et constantem animum erga suos patefecit. Milites nempe, qui ad seditionem maxime proni fuerant, ignominia mulctavit; legionem, quae Augusta vocabatur, eo nomine indignam judicans, ita in posterum appellari vetuit; reliquos partim minitando partim consolando ad officium reduxit. Sic illo discrimine remoto fortiter hostes aggressus est eosque subegit non sine multa hominum jactura; gentem, quae Romanis parere non poterat, saltem quot militari

(1) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 5.

erant aetate, fere totam delevit; reliquos armis exuit, et ex montanis locis in campestres transtulit (1).

His victoriis bellum istud prorsus exstinctum est, ut ab eo inde tempore Hispani quiete Romanorum imperium tulerint. Res sane triumpho digna; at Agrippa, cui satis erat gloriae, rempublicam gravi periculo liberasse, neque literas de suis rebus gestis ad senatum misit, neque triumphum, ipsi Augusti jussu decretum, accepit, sed solita animi moderatione iterum recusavit (2).

Jam in Orientali Imperii Romani parte arma gerentem eum videbimus, quippe felicissimo successu bellum in remota regione Bosporana, ad Cimmerium Bosporum (Caffa) sita, obortum, confecit. Anno 738 iterum in Asiam cum venisset, ei in Judaea apud Herodem, quocum jam antea amicitias conjunxerat, aliquantum temporis morato, nunciatum est res novas in Bosporo Cimmerio molitum esse quemdam Scribonium. Regnum hujus regionis tenuerat Romanorum auctoritate Asander, qui conjugem habebat Dynamin, filiam Pharnacis, neptim Mithridatis, (Ponti regis). Huic cum regnum reliquisset maritus, eam uxorem duxit et solium regale occupavit Scribonius et ipse perhibens se Mithridatis esse nepotem, necnon regnum

(1) Dio Cass. Lib. cit. cap. 11; Horat. *Epist.* Lib. I. Ep. 12. vs. 26.

(2) Dio Cass. l. s. c.

ab Augusto sibi esse traditum. Agrippa Polemonem, Ponti regem, Romanorum socium (1), exercitum contra Bosporanos ducere jussit; ante hujus adventum vero Scribonium incolae, fraude cognita, jam interfecerant; ideo tamen Bosporani novas insidias metuentes, si Polemon regnum capesseret, ei nondum submissi sunt, quamvis uno proelio victi. Eam ob causam Agrippa interim in Ioniam profectus, his rebus auditis, Sinopen navigavit, ubi Herodes cum magna classe ei auxilium tulit. Bosporani simulatque Agrippae adventum cognoverant, licet mari nondum trajecto, arma deposuere; et deinde ab Agrippa in deditionem recepti, signa, quae illi quondam sub Mithridate ceperant, reddidere. Agrippa Polemonem regem constituit, Dynaminque conjugem ei dedit Augusti consensu (2). Triumphum, qui ob has res gestas ei decretus est, tertium recusavit, quod exemplum posteriores duces, sub Principum auspicio victoriis reportatis, secuti sunt (3).

Vix Agrippa ex Oriente Romam anno 741 u. c. redierat, cum novi belli causa patriam relinquere coactus est. Pannonii enim, quibuscum annis 719 et 720 bellum gestum fuerat, gravem seditionem moverant. Initio hiemis contra eos profectus est, quem

(1) Dio Cass. Lib. LIII. c. 25.

(2) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 21; Fl. Joseph. *Ant. Jud.* Lib. XVI. cap. 2; Oros. Lib. VI. cap. 21.

(3) Dio Cass. l. s. l.

legimus hac opportunitate majori imperio ornatum, quam caeteroquin extra Italiam legati habere solerent. Pannonii statim ejus adventu attoniti arma deposuere (1). Quod solo metu Agrippae factum esse ostendit iterum exorta rebellio anno sequenti post nostri mortem, quam rebellionem exstinxit Tiberius Caesar (2).

An Agrippae militares laudes peculiari panegyrico celebratae fuerint non constat. Quosdam ad eam opinionem adduxit locus Horatii (3):

> *Scriberis Vario fortis, et hostium*
> *Victor, Maeonii carminis alite,*
> *Quam rem cunque ferox navibus aut equis*
> *Miles, te duce, gesserit.* cet.

At assentimur viro doct. Aug. Weichert (4) judicanti non ex hoc loco constare de peculiari carmine in Agrippae laudem conscripto; verosimile autem esse Varium de Agrippae rebus gestis multa cecinisse in Augusti panegyrico, quod Varium scripsisse versus 27 Epistolae 16 Libri I Horatii, scholiaque ad hunc locum probare videntur.

---

(1) Dio Cass. Lib. l. cap. 28.

(2) Dio Cass. Lib. cit. cap. 31; Vell. Paterc. Lib. II. cap. 96; Suet *in* Tib. cap. 9.

(3) *Carm.* Lib. I. Od. VI. vs. 1 seqq.

(4) *De Lucii Varii et Cassii Parmendis Vita et carminibus.* pag. 56 et 115.

Caput Quintum.

QUID IN INTERNO REGIMINE REIPUBLICAE PRAESTITERIT M. AGRIPPA.

Multum abfuit ut solis virtutibus bellicis Agrippa contulerit ad imperium Augusti firmandum. Nimirum virum literarum omniumque pacis artium peritum non minus quietis temporibus eminere necesse erat cum rerum administratione, tum operibus, quorum multa adhuc supersunt. Dolendum autem est historicos pauca adeo de Agrippae variis in administratione reipublicae gestis memoriae prodidisse, cujus fortasse causa fuit, quod in plerisque honoribus collegam habuerit Augustum. Cum autem ex magistratuum in Agrippam collatorum numero patet, quanti eum fecerit Augustus, tum constat, saepius ipsi in republica mandata fuisse gravissima negotia sine honoris titulo. Quo anno quemque magistratum gesserit vidimus Capite Primo. Jam singillatim, quantum conjici sinit fontium inopia, spectemus,

quid praestiterit noster et Romanorum populo et provinciis, quo tempore iis sine bellico imperio praeerat. Jam statim post pugnam Actiacam eum magna potentia ornatum videmus. Caesar enim cum multi milites Antonii ad ipsum transiissent, metuens ne utriusque exercitus copiae inter se tumultuarentur, eos separavit; porro milites, qui adhuc stipendia faciebant, apud se retinuit, quibus spe divitiarum Aegyptiarum stimulatis, confidere poterat; veteranos, qui stipendia emeriti erant, in Italiam misit. Hos, qui sese dimissos nullo praemio dato indigne ferrent, ideo merito suspectos habebat Caesar, quamobrem Maecenatem Romam misit, praefectum administrandae Romae et Italiae; verum huic, quod equestris ordinis homo esset, non videntur cito obsecuti esse milites. Ideo, alia quadam causa (de qua non constat) Agrippam paulo post in Italiam misit, ut interesset administrationi. Dedit ei aequalem potestatem ac Maecenati, quippe literas, quas ad Senatum aliosve scriberet, non solum prius ut legerent iis permisit, sed et mandavit, ut factis quas utiles judicarent emendationibus in Senatu praelegerent; quod ut facere possent dedit iis Caesar suum sigillum sphynge ornatum (1). Graves autem tumultus excitasse eo tempore videntur milites; cum, auctore Plutarcho (2), Agrippa, verosimiliter metuens, ne e turbis vetera-

(1) Dio Cass. Lib. LI. cap. 3. De sigillo vid. Suet. *in* Oct cap. 50. Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXVII. § 4.

(2) *In* Ant. cap. 73.

norum, si quem ducem novarum rerum cupidum nacti essent, nova bella civilia oriri possent, literas Octaviano identidem misit, eum enixe rogans ut Romam veniret, ubi res ipsius praesentiam in urbe desiderarent. Octavianus, quem nuncii in Asia invenerant, idcirco Brundusium venit hieme anni 724, sed Romam non profectus est cum jam ejus adventu in Italiam tumultus militum statim exstinctus esset. Post triginta dies in Asiam redire potuit, ibique bello Aegyptiaco finem imposuit (1). Utrum interea praefectura Italiae continuata fuerit Agrippae et Maecenati non constat. Quum autem Romae manserint usque ad Caesaris triumphalem reditum, videntur eadem auctoritate gavisi fuisse.

Anno 733 non minus pleno imperio Italiae praefuisse Agrippa videtur. Augusto enim absente Romae turbae civiles creandorum consulum causa excitatae erant. Quum scilicet Augustus consulatum eo anno accipere recusaret, et jam creatus esset omnium consensu M. Lollius, alterum consulatus honorem ambiere duo competitores Q. Lepidus et L. Silanus. Seditionem hancce quamvis solertia sua vix sedavisset Augustus (ita ut Lepidus Consul crearetur), tamen intellexit quam periculosum esset, dum ipse non semper Romae maneret, urbem ordinariis magistratibus relinqui, quippe qui omnem auctoritatem amisissent. Opus igitur

(1) Dio Cass. Lib. LI. cap. 4 et seqq.; Tacit. *Ann.* Lib. I. cap. 12.

erat peculiari moderatore, cui muneri maxime idoneum Agrippam merito judicabat; hic eo ipso tempore in Oriente morabatur, quo se post dissidia cum Marcello anno 731 contulerat. Cupiens autem ejus imperio plus auctoritatis tribuere, impetravit ab eo Augustus ut uxorem suam Marcellam repudiaret, ejusque in locum ipsius filiam Juliam in matrimonium duceret; Agrippa Imperatoris jussu Romam venit ejusque mandatis paruit (1).

Utrum vero Agrippa *praefecturam urbis*, quem magistratum, monente Maecenate, inter nova officia instituit Augustus (2), gesserit, an potius sine peculiari titulo Italiam administraverit, ambiguum videtur. Scriptores enim complures Messalam Corvinum primum praefectum urbi fuisse perhibent, eique post sex dierum magistratum successisse Taurum Statilium (3). Dio autem, licet Agrippam non disertis verbis praefectum urbi (*πολίαρχον*) nuncupet, tamen *ἐν τῆς πόλεως διαχειρίσει* ei suffectum esse Statilium Taurum dicit (4), neque Messalae Corvini ullam mentionem facit. Hujus autem breve admodum imperium facile latere potuit Dionem; verum non ita accidere potuit, ut Agrippae, qui per quinque annos urbi praefuisset, oblivisceren tur reliqui scriptores.

(1) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 6; Vell. Pat. Lib. II. cap. 93; Suet. *in* Oct. cap. 63.

(2) Dio Cass. Lib. LII. cap. 21; Suet. *in* Oct. cap. 37.

(3) Euseb. *Chronic.* ad annum 1991; Tacit. *Ann.* Lib. VI. cap. 11.

(4) Lib. LIV. cap. 6 et 19.

Statuendum igitur videtur, non ordinarii magistratus titulo, sed potestate extra ordinem tributa usum fuisse, cui sententiae optime convenit Messalae dictum: *incivilem esse potestatem* (1), nempe hoc tantum in novum magistratum cadere posse.

Utut est, Agrippa in administratione urbis Augusti spem nequaquam fefellit, imo egregie munere suo functus est. Nimirum turbarum reliquias exstinxit, quietemque Romae prorsus paravit, adeo ut Augusti absentiam vix sentirent cives (2). Solummodo quemdam tumultum excitavit creandus praefectus urbi feriarum Latinarum causa (3); lepide vero illis turbis obviam iit non celebrandis eo anno feriis Latinis. Porro Agrippa sacra Aegyptiaca, quae paullatim in urbem introduci

(1) Euseb. *Chron.* l. c.

(2) Coronam muralem, qua in nummis nonnullis ornatum videmus (vid. *Thes. Morell.* Num. p. 491 et Havercamp. *in famil. Corn.* et *Vips.* p. 131 et 451) ei hac opportunitate tributam esse credit Le Blond *Histoire de l'Ac.* etc. pag. 59. At cum ejusmodi praemium is acciperet, qui primus murum subiisset, inque oppidum hostium per vim escendisset (vid. Aul. Gell. *N. A.* Lib. V. cap. 6; Liv. Lib. XXVI. cap. 48) potius duco, Agrippam coronam illam propter praeclarum aliquod facinus per bella externa consecutum esse.

(3) Hic e minoribus magistratibus unus tempore liberae reipublicae jam habebatur, quando Consules et Praetores ab urbe abessent; nec abolitus est novo ordinario magistratu creato; sed tunc ad feriarum Latinarum tempus unice restrictus est. Vid. Pompon. *in Lege* Lib. II. § 33. *Dig. de origine Juris;* A. Gell. *N. A.* Lib. XIV. cap. 8; Tacit. *Ann.* Lib. VI. cap. 11.

coepta erant, repressit, edixitque ne quis ea in suburbano intra D passus perageret (1). Eandem mentem superstitiosos ritus arcendi, jam antea manifestaverat, cum a°. 721 u. c. aedilitatem gerens omnes astrologos et magos Romam expulisset (2), inter quos Le Blond fuisse tradit Anaxilaum Larissaeum, Pythagoreum Philosophum (3).

Caeterum potestatem illam retinuisse Agrippam usque ad annum 738 apparet ex Dione Cassio (4), ubi legimus ipsum eo anno ex urbe profectum esse, Tauro urbis et Italiae imperio commisso. Saepe vero intra illos annos eum bella contra externos reipublicae hostes gessisse vidimus; praeterea multa opera in usum publicum exstruxisse mox ostendemus. Fere ad imperii societatem Agrippam eo tempore provexit Augustus; nimirum anno 735 ab itineribus in varias imperii partes redux, Agrippae sequenti anno cum alia fere eadem quae sibi, tum tribunitiam potestatem, quâ revera super omnes magistratus extolleretur, itidem in quinquennium dedit (5); hanc potestatem etiam in alterum quinquennium adeptus est Agrippa, cum ex Syria reversus esset (6).

(1) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 6.

(2) Dio Cass. Lib. XLIX. cap. 43.

(3) *Hist. de l'Acad.* etc. p. 47. Cf. Euseb. *Chron.* ad annum 1989 ibique Scaliger.

(4) Lib. LIV. cap. 19.

(5) Dio Cass. Lib. cit. cap. 12; Serv. *ad Aen.* Lib. VIII. vs. 682 qui eum *tribunum plebis quietissimum* vocat.

(6) Dio Cass. l. l. cap. 28.

Eodem anno 736 Augustus Senatum legere instituit. Jam anno 725 Caesar quinto suo consulatu, censoria potestate instructus (1), collegâ Agrippâ, idem opus susceperat, verum diversa ratione. Augustus enim de malis, quae Reipublicae per bella civilia acciderant, sanandis sollicitus, summi momenti esse judicavit, simulac Imperatoris nomen summamque potentiam sibi sumserat, veterem splendorem Senatui restituere, numerumque senatorum ad modum pristinum redigere. Nimirum dignitas antiqua hujus collegii contaminata fuerat per bella civilia, cum in Senatum adscita esset magna indignorum hominum, imo vix civium, caterva. Jam C. Julius Caesar multos genere minus nobili ortos in Senatum admiserat (2). M. Antonius consul postea Caesare interfecto numerum senatorum auxerat et permultos adlegerat, quos Julium Caesarem indicasse in commentariis perhiberet quique ideo Orcini vocarentur, instar libertorum testamento domini manumissorum (3). Ita numerus jam ad millenarium auctus erat, adeo ut Octavianus recte judicaret

(1) Nunquam Augustum Censoris nomen affectasse constat ex Suetonio *in* Oct. cap. 27, quamquam eum *censorem*, uti reapse erat, vocat Macrob. *Saturn.* Lib. II. cap. 4. §. 23. Nec Suetonio repugnat Dio Cass. Lib. LII. cap. 42 qui dicat τιμητεύσας.

(2) Dio Cass. Lib. XLIII. cap. 27 et 47; Suet. *in* Caes. cap. 41 et 76.

(3) Appian. *de Bell. Civ.* Lib. III. cap. 5; Suet. *in* Oct. cap. 35; Plut. *in* Ant. cap. 15; Dio Cass. Lib. XLIV. cap. ult.

novo delectu Senatus opus esse. Ardua sane res erat, tot viros, quorum multi magnis divitiis et honoribus gestis in republica valebant, loco suo movere. At solertia sua, cui certe auxilium Agrippae non defuit, quem ut diximus collegam sibi adsciverat, plerisque difficultatibus se expedivit (1). Postquam enim hortatus erat senatores, ut singuli de sese judicium ferrent et qui semetipsi indignos senatoria dignitate judicarent, ut sponte e Senatu discederent, statim quinquaginta ultra monitis ejus obsecuti sunt, quorum ut exemplum sequerentur alios centum et quadraginta cohortationibus adegit. Illorum autem neminem censoria nota affecit, posteriorum solummodo nomina palam proposuit (2).

Quamquam eo modo Senatum magna pro parte hominibus nequioribus purgarat, tamen multi, qui movendi eo fuissent, adhuc in Senatu manserant; quam ob rem Augustus jam anno 736 iterum, collega Agrippa, constituit senatorum numerum, quem aequo majorem censebat, diminuere. Trecentos tantum secundum antiquam consuetudinem constituere voluerat; omnibus vero id aegre ferentibus, consilium mutavit statuitque numerum ad sexcentos redigere. Ne vero solus odium susciperet, tantum triginta viros optimos ex Senatu elegit, jurejurando affirmans se bona fide eos elegisse; hos triginta eodem modo jurejurando adstrictos hortatus est ut singuli quinos (cognatis praetermissis) optimos desig-

(1) Cfr. Crevier *Histoire des Empereurs Romains.* Tome I. p. 13.

(2) Dio Cass. Lib. LII. cap. 42; Suet. *in* Oct. cap. 35.

narent; ex quibus postremis unus sorte creatus senator maneret, qui rursus alios quinos iisdem conditionibus in Senatum adscriberet. Cum vero ea ratione per aliquot dies lectio senatorum fieret, fraudibus detectis, desiit sorte admittere Augustus; sed ipse collega Agrippa reliquos elegit et numerum senatorum, quem constituerat, complevit (1). Multi vero offensi, quod ex Senatu moti essent, id aegre tulere, et impetrarunt ab Augusto ut iterum in Senatum adscriberentur. Non mirum est eo tempore Romae complures insidias struxisse Augusto et Agrippae; eorum autem consilia detecta sunt, noxiique multi poenas dedere (2). Num aliis Augusti institutis ad Senatum reformandum (de quibus Dio Cassius (3)) adfuerit Agrippa, minime constat. Notandum autem est, cum bis Agrippam censurae collegam habuerit, utroque illo magistratu, Augustum legem Juliam de maritandis ordinibus rogasse, quae eximie ad mores nobilium emendandos valeret, nempe praemiis ornando patresfamilias, cum orbos multis oneribus gravaret. Hinc probabile videtur, Agrippae eum hoc quoque consilium debuisse. Caeterum hanc legem egregio morum censore dignam

---

(1) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 13 et 14; Suet. l. c. et c. 54.

(2) Dio Cass. ibidem cap. 15. Fortasse eo tempore conjuratio Rufi Egnatii accidit, de qua vid. Vell. Paterc. Lib. II. cap. 91. Conf. et Suet. *in* Oct. cap. 19.

(3) l. cit. cap. 16.

tamen neutro tempore pertulit, sed demum anno 741 (1).

De censu populi, quem Augustus et Agrippa anno 726, ipsi coss. et primum censoria potestate instructi, egerunt, legimus numerata fuisse XLI centena LXIV millia civium capita (2); qua opportunitate lustralia sacra peregere, quae per XLI annos fieri desierant (3).

Sequitur ut indagemus, quid in administrandis provinciis longinquioribus Romani imperii gesserit noster; quae tamen disquisitio tantummodo referri poterit ad ea quae in Oriente gesserit. Etenim, licet bis in Galliis cum imperio fuerit, tantum de bellis ibi gestis, quae supra memoravimus, quaedam tradunt scriptores; secus autem in Oriente accidit; Asiam enim provinciam suscepit, non belli gerendi causa, sed alio longe consilio. Nimirum ad evitandas simultates Agrippam inter et Marcellum ab Augusto in Syriam missum fuisse anno 731 exposuimus capite secundo. Jam statim gravis quaestio oritur quonam titulo et quanam potestate Agrippa praeditus fuerit in Oriente. Flavius Josephus ei fere eandem auctoritatem atque Augusto tribuit; eumque Διάδοχον Καίσαρι, *vicarium Caesaris*, nominat (4), unde Le Blond intelligit ei totius Orientis

(1) Tacit. *Ann.* Lib. III. cap. 28; Suet. *in* Oct. cap. 34; Dio Cass. l. c. et Lib. LVI. cap. 7; Gajus Lib. II. § 286.

(2) Vid. *Monumentum Ancyranum* series II. Euseb. *Chron.* ad a. 1989. Apud Suidam in voce *Αὔγουστος* 410,107.

(3) Dio. Cass. Lib. LIV. cap. 1.

(4) *Ant. Jud.* Lib. XV. c. 10. § 2.

imperii gubernationem commissam fuisse (1). At causam non video cur majorem fidem tribuamus Josepho, quam Dioni Cassio, qui ter mentionem facit Agrippae in *Syriam* missi (2). Syria autem provincia erat Caesarea (3); Augustus enim anno 727 ipso septimum et Agrippa Coss. Provincias in senatorias seu populares et imperatorias diviserat. Illae regebantur a proconsulibus et propraetoribus, quos Senatus et populus duntaxat nomine crearet; has administrabant legati, propraetores seu minori dignitate, quos Caesar ipse nominaret (4). Videtur igitur Caesar, cujus intererat Agrippam cito ab urbe amoveri, consensum populi non exspectasse, sed legatum eum misisse in provinciam suam. Le Blond contra existimat (quia Asia et Bithynia populares erant provinciae) suffragiis populi, fortasse imperatoris adulandi causa, illum creatum esse propraetorem, adjectis duobus proconsulibus ipsi subditis (5), de quibus tamen non nisi Dionem (6) laudat, qui tantummodo τοὺς ὑποστρατήγους in Syriam missos memorat. Neo nimis tribuendum videtur Josephi verbis (7): πέμπεται δὲ Ἀγρίππας τῶν πέραν

(1) *Histoire de l'Académie des Inscriptions* cet. pag.58.

(2) Lib. LIII. cap. 32. LIV. c. 19 et 28.

(3) Onufrius Panvinius *in Imp. Rom.* cap. 15. in Thes. Graev. Tom 1. p. 413.

(4) Dio. Cass, Lib. LIII. cap. 12.

(5) *Histoire de l'Académie,* etc. l. l.

(6) Lib. LIII. cap. 32.

(7) *Ant. Jud.* l. c.

Ἰονίου διάδοχος Καίσαρι, quum provinciali facile accidere potuerit ut majorem sibi fingeret Romani praesidis imperium quam revera esset. Utique majori potestate instructum eum fuisse, quam quae vulgo magistratibus provincialibus tribueretur, negari non licet.

Deinde quaeritur per quantum temporis spatium in Oriente administrationem gesserit; qua de re Josephus tradit per decem annos eum rexisse Orientem (1); quod facile in concordiam redigi potest cum Dionis narratione, tradentis eum profectum esse a°. 731 in Asiam, rediisse a°. 733, iterum ivisse a°. 738, unde tandem redierit a°. 741 (2). Ita decem annos habebimus, dummodo in computationem veniat illud tempus, per quod Syriae praefuere Agrippae legati (3).

De rebus ab Agrippa in Asia gestis, si excipias bellum cum Bosporanis (memoratum pag. 57) fere unicum auctorem habemus Josephum, qui ante omnia mentionem facit amicitiae, qua Agrippa et Herodes Magnus juncti fuerunt. Magna sane causa erat cur Herodes, etiamsi non peculiariter Agrippam diligeret, Augusti amico, imo postea genero, placere eximie studeret. Nempe cum pridem Cassium et Brutum adjuvisset, deinde Antonii partes secutus esset, cujus ope etiam a Senatu impetraverat ut Rex Judaeae constitueretur,

---

(1) *Ant. Jud.* Lib. XVI. c. 3. § 3.

(2) Dio. Cass. Lib. cit. cap. 32 et Lib. LIV. cap. 6. 19 et 28.

(3) Vid. SIMSON *in Chron.* ad a. 741. Cfr. *Hist. de l'Acad.* p. 61.

post belli civilis finem ab Augusto in gratiam receptus fuerat (1). Ad gratum animum igitur Augusto significandum jam ante adventum Agrippae, spectacula et ludos quinquennales in Caesaris honorem exhibendos curavit, templa et domus extra Judaeam aedificavit, nomine Augusti decoratas. Sic et duabus a se conditis urbibus nomina Caesareae et Sebastes imposuit. Imo Anthedon, quam fere integram renovavit, exinde Agrippias vocata est (2). Denique in splendidissima illa domo regia, quam Hierosolymae aedificari jussit, duo atria (οἴκους) Ἀγρίππειον et Καισάρειον, nominavit (3). Etiamsi ex his complura jam acciderant ante primum Agrippae adventum, tamen postea verum amicitiae vinculum inter hunc et regem exstitisse constat. Cum igitur Agrippa Mitylenas in insulam Lesbon venisset, ubi, praemissis legatis in Syriam (4), hiemavit, statim Herodes, ejus adventu nunciato, Mitylenas salutandi eum gratia se constulit, ibique per totam hiemem moratus est. Ea etiam gratia apud Agrippam valuit, ut legatos Gadarenorum (in Coele Syria (5)), qui de Herode tanquam pessimo tyranno quererentur, Agrippamque auxilium contra eum rogarent, vinctos

---

(1) *Ant. Jud.* Lib. XIV. cap. 11, 12, 14; Lib. XV. cap. 6.

(2) Fl. Joseph. *Ant. Jud.* Lib. XV. cap. 8 § 5; cap. 9 § 6; Lib. XVI. cap. 5 § 1 et *de Bello Jud.* Lib. I. cap. 21 § 8.

(3) Fl. Joseph. *Ant. Jud.* Lib. XV. c. 9 § 3; *de Bello Jud.* Lib. I. cap. 21 § 1.

(4) Dio. Cass. Lib. LII. c. 32. (5) Steph. *de Urb.* in voce.

mitteret ad Herodem (1). Non improbabile autem videtur, Agrippam consilium simul addidisse veniam ipsis tribuendi; haec enim clementia erga legatos illos probata ceteroquin aliena erat ab Herodis indole.

Per biennium in Oriente moratus, a°. 733 rediit in Italiam, ubi praesentia ejus desiderabatur (2). Quid per illum tractum temporis Lesbiis benefecerit, non constat; grati eorum animi testimonium servatum est in statuae basi: qua inscriptione haec verba continentur: ὁ δαμος Θεον σωτηρα τας πολιος Μαρκον Αγριππαν τον εὐεργεταν καὶ κτισταν (3).

Alteram missionem in Orientem anno 738 ad finem vergenti locum habuisse, ex eo constat, quod Agrippa ludos, ob victoriam Actiacam institutos, et quinto quoque anno mense Septembri celebratos, a°. 738 quindecimvir exhibuerit (4). Herodes, vix nuncio accepto de Agrippae altero adventu in Asiam, ei obviam ivit, et enixe rogavit ut in Judaeam veniret. Agrippa ei hac in re morigeratus magnifico hospitio a Judaeae rege exceptus est. Inprimis ei recens conditas urbes, Sebasten et Caesaream, hujusque satis amplum portum ostendit; deinde Alexandrion, Herodion et Hyrcaniam profecti sunt Herodes

(1) Fl. Jos. *Ant. Jud.* Lib. XV. c. 10 § 2.

(2) Vid. pag. 62 seq.

(3) Chishul. *Ant. Asiat.* p. 186; *Histoire de l'Acad. des Inscriptions.* cet. p. 58.

(4) Vid. *Hist. de L'Ac.* p. 62 in nota.

et Agrippa; mox Hierosolymam, ubi populus tanquam solenne festum celebrantes, lautis vestibus ornati, festivo cum clamore Agrippae occurrere. Agrippa tunc hecatomben Deo sacrificavit, et epulas populo parandas curavit. Deinde multis donis ab Herode cumulatus, in Joniam rediit, unde paulo post se Sinopen contulit, bellumque in Cimmerio Bosporo ortum confecit, de quo superiori capite egimus (1), cuique Herodes cum copiis interfuit, imo Agrippam per totum iter comitatus est. Deinde rebus Bosporanis confectis ambo peragraverunt Paphlagoniam, Cappadociam et Phrygiam iterque produxere ad Ephesum usque, unde Samon navigavere. Ubique per provincias, quas invisebant, liberales se praestitere. Sic Agrippa clementiam suam Iliensibus probavit, postquam eos centum millibus drachmarum mulctaverat, quoniam Juliae uxori in fluvium Scamandrum lapsae, et paene demersae, nullum auxilium praestiterant. Poenae infligendae causa fuit aut amor erga Juliam, aut dignitatis servandae consilium, quae minueretur nisi provinciales praesidem Romanum debito ubique honore prosequerentur. Attamen laudandus Agrippa quod

---

(1) Pag. 57. Vid. Fl. Jos. *Ant. Jud.* Lib. XVI. c. 2. § 1 et 2. Ex his in Asia minore rebus gestis conjicere licet secundam Agrippae legationem a prima paulo diversam fuisse; sed minime exemplis careret, legatos principes in provinciis senatoriis imperium sibi vindicasse.

populo Trojano mulctam remiserit, quippe quem verosimile est levissima tantum culpa peccasse (1).

In Ioniam cum venissent, Judaei, ibi habitantes, se injuria affici questi sunt, cum, spretis privilegiis, sibi a Romanis datis, diebus festis cogerentur se coram tribunalibus sistere, item militiae onera ferre et tributa pendere, quibus impedirentur pecunias ad sacra Hierosolymae facienda mittere (2). Praeterea Judaeos accusaverant Jones, quod civitatis jus in ipsorum regione usurpantes tamen Deos eosdem colere recusarent; quam criminationem repulere Judaei privilegio citando, quo Antiochus cognomine Theos, Syriae rex, nulla conditione imposita Ionicam civitatem ipsis tribuerat (3). Nicolaus Damascenus utramque causam Judaeorum coram Agrippa et Herode defendit, amplaque oratione docuit Judaeos merito queri de injuria sibi illata, Agrippaeque auxilium enixe imploravit; qua Nicolai facundia permotus Agrippa jussit concessa Judaeis privilegia rite observari (4).

Paulo post tamen Judaei, in Asia et Africa habitantes, civitate Graecarum urbium, ab antiquis regibus concessa, a Graecis, qui eos accusabant pecuniam ex patria sua exportare, vexabantur auxiliumque Augusti

(1) Fl. Jos. *Ant. Jud.* ibidem; Nic. Damasc. *in fragm. a Valesio ed.* p. 418; Bayle *Dict. Hist.* in voce *Scamandre.*

(2) Fl. Jos. *Ant. Jud.* l. c. § 3.

(3) Nic. Damasc. *Hist. Cath.* Lib. 123 et seq. apud Joseph. *Ant. Jud.* Lib. XII. c. 3. § 2.

(4) Fl. Jos. *Ant. Jud.* l. c. § 4 et 5.

imploravere; Romanos iis iterum auxilium tulisse, probant epistolae apud Josephum, quarum duas Agrippa scripsit ad Archontas, Senatum populumque Ephesi et Cyrenaeorum (1).

Ad eadem tempora referendum adhuc videtur Agrippam Berytum, Phoenices urbem, a Tryphone, Syriae rege, dirutam, instaurasse, duasque legiones ibi collocasse, et auxisse ejus civitatis ditionem (2). Tandem in insula Lesbo sibi invicem valedixere Agrippa et Herodes, qui in regnum suum rediit; Agrippa Romam profectus filium Herodis Antipatrum secum duxit (3).

Quum autem proceribus in Romanâ republica viris non solum rerum administrandarum officia incumberent, verum etiam tenerentur ludis populo Romano satisfacere, semper *panem et Circenses anxie optanti*, eximie his muneribus Agrippa popularem favorem meruit. Nimirum multi ludi ab ipso dati commemorantur. Jam anno 714 Praeturam gerens Apollinares ludos exhibuit, qui splendido prorsus modo celebrati sunt. Scilicet praeter alia Circenses biduo praebuit; nobiles pueri magnifice ludum Trojanum exhibuere; in venatione, quam populo dedit, viri equestris ordinis certamina cum feris ediderunt (4).

---

(1) *Ant. Jud.* Lib. XVI. cap. 6.

(2) Strabo Lib. XIV. pag. 755 et 756.

(3) Fl. Joseph. *Ant. Jud.* Lib. laud. cap. § 5 et cap. 3 § 3.

(4) Dio Cass. Lib. XLVIII. cap. 20 et 33.

Anno 721 aedilitatem gessit, quem magistratum eo tempore nequaquam Romani ambire solebant; etenim cum antea magnis sumtibus ludos splendidos populo darent, hinc illius gratiam sibi conciliabant, eoque modo facile honorem praeturae, consulatus cet. consequebantur. Augusti vero aetate populi suffragia cum parvi essent ponderis, munere tantis sumtibus gravato nemo fungi cupiebat. At Agrippa non nisi populi salutem respiciens, quamquam populari aurâ non indigeret, quippe consulatu jam gesto, ultro Aedilitatem suscepit, multumque in populi gratiam fecit. Primum eo nomine ludos magnificos omnisque generis edidit, quibus et filii senatorum Trojam equestri certamine luserunt, et per sexaginta dies varia spectacula exhibita sunt (1).

Balnearum usus apud populum Romanum frequentissimus erat, tam utilitatis quam voluptatis causa. Divites balnea privata in aedibus suis habebant; at populus balneis publicis uteretur necesse erat et quadrantem sive quartam assis partem solvere debebat, quoties iis uti cupiebat (2). Jam Agrippa centum et septuaginta balnea gratuita per totum annum populo tam viris quam mulieribus dedit (3). Similia commoda

(1) Dio. Cass. Lib. XLIX. cap. 43; Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 24. n. 9.

(2) W. A. Becker, *Gallus oder Röm. Scenen aus der Zeit Augusts.* Tb. II. p. 17; Horat. *Serm.* Lib. I. sat. 3 vs. 137.

(3) Dio Cass. et Plin. ll. cc.

ut in futurum quoque populo darentur curavit Agrippa, cum testamento balnea legaverit ut gratuitis iis uterentur cives (1). Tonsores item in usum publicum conduxit, quoties ludi celebrarentur. Oleum et sal populo distribuit; tandem tesseras (2) multas in theatro desuper inter spectatores projecit, quibus huic pecunia, illi vestis, alii aliud quid obveniebat; alias item multas merces in medium proposuit, diripiendasque vulgo concessit (3).

Ludi Actiaci propter victoriam de Antonio reportatam instituti, primum anno 726 celebrati sunt, auspiciis Agrippae et Caesaris; hi quoque magnificis sumtibus, sive utriusque sive unius Caesaris, exhibiti sunt, perque aliquot dies spectacula varia edita, neque intermissa sunt propter valetudinem Caesaris, cujus aegrotantis partes Agrippa susceperit (4). Anno 738 Agrippa iterum ludos quinquennales celebravit, sed jam integris suis sumtibus; tunc enim fuerat adoptatus in collegium quindecimvirorum sacris faciendis, quibus cura ludorum illorum vicissim incumbebat (5). Fortasse etiam eo nomine ludis saecularibus, qui superiori anno celebrati sunt, interfuit (6).

(1) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 29.

(2) Tesserae erant symbola lignea vel plumbea, quibus acceptis ire licebat ad horrea publica petitum frumentum.

(3) Dio Cass. Lib. XLIV. cap. 43.

(4) Dio Cass. Lib. LIII. cap. 1 et Lib. LI. cap. 1; Suet. *in* Oct. cap. 18 et 59. (5) Dio Cass. Lib. LIV. cap. 19.

(6) Dio Cass. Lib. cit. cap. 18.

Sequitur ut de operibus in usum publicum, quae cum urbs tum Imperium Romanum Agrippae debuere, quaedam dicamus, quantum id artis aedificandi minus peritis licet.

Inter caetera minoris momenti eminet, *quantum lenta solent inter viburna cupressi*, monumentum praestantissimum artis architectonicae, quod adhuc servatum est. Nomen ei impositum Pantheon (Πάνθειον), cujus derivatio multis dubitationibus ansam dedit. Ipse Dio dubitasse videtur num inde nomen habeat quod compluribus Diis consecratum fuerit, an vero ob rotundam formam coeli convexum imitantem (1). Omnium Deorum templum fuisse credamus non oportet, cum Plinius (2) expresse moneat illud Jovi Ultori sacrum fuisse. Inveniuntur autem ad hunc ipsum diem octo loculamenta sive loca statuis destinata, quarum memorantur Martis et Veneris et C. Julii Caesaris (3). De ceteris nihil constat. Potius igitur duco Πάνθειον, dictum esse pro πανυ θεῖον, illudque nomen accepisse a divina operis praestantia, cum θεῖος pro rotundo nusquam reperiatur.

Ex verbis Dionis, qui ad annum 729 monet Agrippam Pantheum perfecisse (ἐξετέλεσε) perperam opinati sunt quidam interpretes (4), aliis auspiciis coeptum

(1) Dio Cass. Lib. LIII. cap. 27.

(2) *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 24. n. I.

(3) Dio Cass. l. c.

(4) Vid. Interpr. ad Dionis. Cass. locum cit. edit. Reimari.

fuisse illud opus, Agrippam ultimam tantum manum apposuisse; sed res dubio carere videtur ob inscriptionem, quae adhuc in frontispicio legitur: *M. Agrippa L. F. Cons. tertium fecit*, et locum Plinii (1) *Pantheum ab Agrippa factum.* Cum autem consulatus tertius in annum 727 incidat, optime in concordiam rediguntur scriptores, si statuamus intra tres annos aedificatum fuisse, quod sane pro operis magnitudine non longum temporis spatium est.

Quaeritur porro quam partem in perficiendo opere ipse Agrippa gesserit. Praeterquam quod ipsius sumtibus aedificium constructum fuerit (2), verosimile est ipsum quoque artificis operam adhibuisse; etenim licet non diserte de peritia Agrippae architectonica loquantur auctores, tamen ubivis legimus ab Agrippa Pantheum factum esse; quodsi alii artifices operam dedissent construendo aedificio tantae praestantiae, Plinius saltem eos nominasset; hic vero praeter nostrum neminem eorum, qui illud elaboraverint, memoriae prodidit, nisi Diogenem Atheniensem, qui Caryatidibus et signis in fastigio magnam laudem meruit (3).

De forma aedificii, quod hodie adhuc fere integrum servatur, jam videamus. Constat illud ex rotundo templo tecto convexo praedito, cui addita est porticus octo columnis et fastigio ornata. At vel primus aedi-

(1) *Hist. Nat.* l. c.

(2) Dio Cass. l. s. c.

(3) Plin. *Hist. Nat.* Lib. cit. § 4. n. 11.

ficii adspectus non arcte cohaerere docet duas illas structurae partes; tum quoque parietes porticus non in unum coalescunt; sed tantum inserti sunt muris rotundi aedificii. Sunt etiam inter architectonices artis peritos, qui porticus elegantiam majorem ducant quam reliqui operis (1). Utut est, porticus fastigio nomen Agrippae prae se ferente et vigente apud omnes veteres traditione de templo ab Agrippa structo, cujus templi etiam idem genus architecturae est atque thermarum, nulla causa apparet cur ab opinione prius emissa recedamus (2).

Adscensus ad porticum patebat septem gradibus marmoris albi, quorum propter solum exaggeratum non nisi duo supersunt, qui ipsi undecim gradibus urbis solo sunt inferiores (3). Columnae Corinthiaci generis ex marmore Aegyptiaco (granita) rubro et fusco sunt, plus quam XXXVI pedes altae, IV½ pedum diametro, quarum una ex uno solido lapide constat. Earum coronae ex marmore albo ob praestantiam usque laudatae ad hunc ipsum diem architecturae studiosis tanquam summae artis exemplaria proponuntur. Praeter eas columnas in fronte positas, porticus fastigium etiam sustentatur octo columnis, quarum in utroque

(1) Vid. Fam. Nardin. *Roma Vetus.* Lib. VI. cap. 4. in Thes. Graev. Tom. IV. pag. 1267.

(2) Vid. Nibby *Itinerario di Roma.* 4º. Ediz. Tom. II. pag. 373.

(3) Vid. Ol. Borrichius *de Ant. Urbis Rom. facie* cap. 11. in Thes. Graev. Tom. IV. pag. 1570 et seq.

latere tres sunt, in medio quatuor. Ornatur porro porticus pulcherrimo illo fastigio, in cujus zophoro inscriptio memorata legitur, nec non in epistylio alia, de qua mox. Prior illa aeneis literis olim constabat, quibus tractu temporis delapsis non nisi vestigia marmori impressa mansere. Fastigio olim etiam anaglypha erant ex aere inaurato. Viri clar. Nibby, Arch. Prof. Univ. Rom., conjectura est Gigantomachiam iis emblematibus expressam fuisse, quoniam Jovi Ultori dicatum erat templum. Fastigium etiam statuis ornatum fuit, in medio Jovis quadrigae insidentis, in lateribus fortasse Martis et Veneris (1). Lacunar constructum ex aeneis trabibus, parietes latericii retecti sunt marmoreis tabulis, quibus incrustata emblemata sacrificiorum supellectilis, variaque ornamenta. Ad dextram sinistramque partem valvarum ingentium, per quas transitus patet e porticu in aream, sunt duo loculamenta, quibus olim teste Dione (2) statuae ingentes Augusti et Agrippae inerant. Ipsae valvae ex aere Corinthio factae et inauratae; dubitatur num illae quae jam habentur eaedem sint quas Agrippa posuerit.

Interior area magnifico adspectu eminet. Pavimentum est lithostrotum, constans ex tribus lapidum ge-

---

(1) De hac Veneris imagine hoc memorabile traditur ejus auribus insertum nobilem illum unionem fuisse, quem Cleopatra ebibere voluerat in duas partes dissectum. Vid. Macrob. *Sat.* Lib. II. cap. 13. Plin. *Hist. Nat.* Lib. IX. § 58.

(2) l. s. c.

neribus, marmore, porphyrite et ophite. Testudo templi laqueata inauratis signis praedita nullam fenestram habet, nisi unum in medio positum foramen circulari forma XXVII pedum diametro aeneis inauratis trabibus fultum, cui suberat in pavimento impluvium ad imbres excipiendos, unde liquet vitri usum eo aevo Romae penitus ignotum fuisse; quare a quibusdam hypaethron dicitur (1). Parietibus insunt nunc etiam sex sacella et magnum loculamentum, singula duabus columnis Corinthiacis ornata, in quarum interstitiis fortasse olim fuere Caryatides aeneae, quae opera laudantur apud Plinium (2). Supra eas albis marmoreis tabulis incrustati parietes. Arae insunt adhuc octo marmoratae, quae Septimio Severo tribuuntur, perinde ac tabulae marmoreae interstitiis columnarum incrustatae (3).

Memoratu dignum est, quo pacto per tot saeculorum cursum et urbis Romae devastationes adeo paene integrum hoc monumentum ad nostra usque tempora duraverit. Primam cladem accepit ex memorabili illo incendio quod a. u. S33 imperante Tito urbem vasta-

---

(1) Vid. Vitruv. Lib. III. cap. 1. Ol. Borr. l. s. l.

(2) *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 4 n. 11.

(3) Desgodetz *Ancient buildings of Rom*, Vol. I. ch. 1; Fam. Nard. Lib. VI. cap. 4. in Thes. Graev. Tom. IV. pag. 1267-1272; Bart. Marl. *Tophogr. Urbis Romae.* Lib. V. c. 11. in Thes. Graev. Lib. III. pag. 177 et seqq.; Alex. Donatus Lib. III. in Thes. Tom. III. pag. 751 seqq.

vit (1). Restituere cum Hadrianus et Antoninus Pius tum etiam inprimis vetustatis causa A. Ch. 202 Severus et Caracalla, ut liquet ex inscriptionibus in duabus fasciis fastigii, quae sic audiunt:

Imp. Caes. L. Septimius. Severus. Pius. Pertinax. Arabicus. adiabenicus. Parthicus. Maximus. Pontifex. max. Trib. Potest X. Imp. XI. Cos. III. P. P. procos. et

Imp. Caes. M. Aurelius. Antoninus. Pius. felix. aug. Trib. Potest. V. Cos. Procos. Pantheum. vetustate. corruptum. cum. omni. cultu. restituerunt (2).

Christiana religione ab Imperatoribus recepta, anno 391 jussu Theodosii clausum est Pantheon, sicut omnia ethnicorum delubra, sed vastationem non expertum est. Anno demum 608 Bonifacius IV Episcopus Romanus a Phoca impetravit ut religioni Christianae dicaretur dedicavitque Mariae Deiparae et omnibus Christi martyribus (3), unde nomen hodieque habet S. Maria Rotunda sive S. Maria ad Martyres. Ornamentis aedificii primus manus admovere ausus est Constantius II

---

(1) Dio Cass. Lib. LXVI. cap. 24.

(2) Nibby *Itinerario di Roma.* pag. 373; Bart. Marl. l. l. pag. 179.

(3) Quod patet ex inscriptione ad valvas, quae ita audit: *Pantheon aedificium toto terrarum orbe celeberrimum ab Agrippa Augusti genero impie Jovi ceterisque mendacibus Diis a Bonifacio IV. Pontifice Deiparae et S. S. Christi Martyribus pie dicatum Urbanus VIII Pont. Max. binis ad campani aeris usum turribus exornavit et nova contignatione munivit anno domini MDCXXXII. Pont. IX.* Vid. Donat. Lib. III. in Thes. Graev. Tom. III. pag. 756.

Imp., cupiens tegulas aeneas testudinis Constantinopolin transvehere. Jacturae ei aegre succurrit anno 713 Gregorius III Episcopus, tegendo fornice laminis plumbeis. Aedificium multas clades per medium aevum expertum, (imo solum urbis exaggeratum columnarum bases obruerat), donec Martinus V Pontifex instaurare illud incepit, cui operi complures successores incubuere; inter quos eminet Urbanus VIII instaurandis coronis columnarum; at idem Papa ex aeneis tabulis lacunaris columnas in Vaticano ponendas, item tormenta bellica conflari jussit (1). Alii saeculorum XVII et XVIII Pontifices variis modis aevi damna resarcivere; ultimam operi manum dedit Pius VII reparando tecto (2).

Pantheo proxime vicinae in regione nona erant Thermae, quas nemo ante Agrippam adeo splendidas aedificaverat. Jam olim enim thermae Romae fuerant, at Augusti aetate primum luxuriose inceperunt aedificari. Nec e thermarum nomine colligendum est, eas unice calidis lotionibus inserviisse, quo sensu potius balnea intelligenda sunt (3). De Agrippae thermis solummodo

(1) Inscriptio alia prope valvas hoc docet: *Urbanus VIII Pontifex Maximus vetustas ahenei lacunaris reliquias in Vaticanae columnas et bellica tormenta conflavit ut decora inutilia et ipsi prope famae ignota fierent in Vaticano templo Apostolici sepulcri ornamenta in Hadriana arce instrumenta publicae securitatis anno domini MDCXXXII. Pont. IX.* Vid. Donat. l. s. l.

(2) Vid. praeter supra laud. Nibby *Itinerario di Roma.* Lib. II. pag. 373 seqq.

(3) Vid. Becker, *Gallus oder Röm. Scenen aus der Zeit Augusts.* Th. II. pag. 41.

pauca rudera supersunt, ita ut de earum magnificentia non nisi conjecturis judicari liceat. Ex Plinio (1) autem intelligitur quantis sumtibus in commodum populi aedificaverit noster. Statuarum, quibus ornatae fuerant, egregiam unam idem scriptor (2) nominat a Lysippo elaboratam, qua lavator sese distringens effictus erat; quae statua tam grata fuit Tiberio, ut eam in domum suam transtulerit, at in populi gratiam in locum pristinum restituerit. — Fortasse ad signa, quibus thermae decoratae erant, pertinent leones duo e lapide Lydio, qui effossi sunt sub Pontifice Eugenio IV et jam hodie ad fontem *dell'acqua felice* collocati. Simul, ut obiter dicam, aerea Agrippae capitis imago et fragmenta equi, ad quadrigam Jovis fortasse pertinentis, reperta sunt (3).

Dio (4) de solo sudatorio Laconico loquitur ejusque structuram a°. 729 memorat, quo uno anno integrum thermarum opus confectum esse non est quod credamus. Agrippae thermae etiam ab incendio magno anni 833 detrimenta passae sunt (5). A Tito et Hadriano restauratae fuere ut patet ex inscriptionibus, quae in lapidibus effossis inventae sunt (6).

Prope eas thermas porro erant horti et sylvae,

(1) *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 64. Cfr. et Lib. XXXV. § 9.

(2) Lib. XXXIV. § 19 n. 6.

(3) Nibby l. s. c.

(4) Lib. LIII. c. 27.

(5) Dio Cass. Lib. LXVI. c. 24.

(6) Canina *Indicaz. Topog. di Roma antiqua.* pag. 171.

quas populo Agrippa testamento legavit (1), quasque Sextus Rufus (2) balneis junctas fuisse testatur. Illic leonem collapsum, imaginem aeream, Lysippi opus, quod Lampsaco Romam transtulerat, posuit Agrippa (3). Juxta hortos erat stagnum Agrippae, ubi Nero rate constructa convivium splendidum effrenata luxuria et sordibus inquinatum celebravit, nemore etiam luminibus permultis clarescente (4).

Thermis aqua suppeditabatur per ductum, cui nomen impositum est Aqua Virgo, quem etiam Agrippa exstruxit. Cura enim aquarum ab anno 721 usque ad mortem ipsi commissa erat, quo munere ita functus est, ut laudes summas meruerit, neque igitur cetera in aquis ducendis ejus merita silentio praetermittere ausimus.

Ante Augustum Aediles et Censores aquam curaverant (5); is autem cum multa alia nova officia instituit, tum etiam peculiarem curatorem aquarum crea-

---

(1) Dio Cass. Lib. LIV. c. 29.

(2) *De regionibus urbis* Lib. I. in Thes. Graev. Tom. III. p. 34.

(3) Strabo Lib. VIII. p. 590.

(4) Tacit. *Ann.* Lib. XV. c. 37.

(5) Teste Frontino usque ad annum 441 u. c. Romani contenti fuere usu aquarum, quas aut ex Tiberi aut ex putuis aut ex fontibus hauriebant. Eo autem anno Aqua Appia Romam inducta est; a°. 481 Aqua Anionis, a°. 608 Aqua Marcia, a°. 627 Aqua Tepula. *De aquaeduct.* Art. 4—9. Ei adversatur Plinius *Hist. Nat.* Lib. XXXI. § 24 dicens Aquam Marciam ab Anco Marcio rege in urbem deductam esse.

vit (1). Videntur curatores illi non solis aquaeductbus sed etiam Tiberi praefuisse, quippe non diversi a curatoribus alvei Tiberis, de quibus Suetonius (2).

Agrippa primus eo munere functus est eodem anno quo aedilitatem gerebat (3); eoque ipso anno aquam ad lapidem ab urbe XII via Latina, euntibus ab Roma dextrorsus bis mille passibus distantem, collegit, deduxitque Romam, atque nomen in honorem Caesaris Juliae imposuit (4); ductus hujus longitudo erat passuum XV millium CCCCXXVI; scilicet supra terram passuum VII millium; ex eo usque ad VII milliarium ab urbe substructione passuum DXXVII; reliquo opere arcuato passuum VI millium CCCCLXXII longitudinem tribuit Frontinus; ita ut restent mille passus CCCCXXVI, qui forsitan canalibus in urbe fortasse Piscinae Juliae tribuendi sunt. Nempe et Julia et Tepula et Marcia aqua confluebant in Piscinam illam (5); hinc per triplicem canalem Romam deducebantur, ita ut summa

---

(1) Quod officium, teste Frontino l. c. art. 1, ad usum tum ad salubritatem, atque etiam ad securitatem urbis pertinere existimabatur.

(2) In Oct. cap. 37.

(3) Front. Art. 98.

(4) Dio Cass. Lib. XLVIII. c. 32 aquam Juliam a°. 714 ductam esse tradit. At majorem fidem tribuere Frontino debemus, quem ipsum Curatorem aquarum, opere peculiari de aquaeductibus conscripto, tantum errorem commitere credere non fas est.

(5) Vid. Polen. ad Front. Art. 9 et 19.

constructione Julia aqua, media Marcia, infima Tepula duceretur. Praeter caput Juliae fluebat aqua Cabra, quam Agrippa omisit (1); judicans ut verosimile relinquendam esse possessionem, qua multi in agro Tusculano agrorum cultores gavisi fuerant.

Eodem illo anno multis praeclaris operibus populi gratiam sibi conciliavit. Appiae, Anionis et Marciae ductus paene collapsos suis sumtibus restituit (2), iisque emendatis singulari cura urbem aliis quoque operibus ornavit. Etenim centum quinque salientes, septingentos lacus, castella centum triginta fecit (3); imo singulae fere domus cisternas, tubulos ac canales copiosos habuere, tantum aquae Agrippae industria in urbem derivabatur (4). Merito igitur Augustus populo querenti de inopia et caritate vini respondit: *satis provisum a genero suo Agrippa, ne homines sitirent* (5). Neque luxu et splendore ejus opera carebant; imo compluribus magnifica signa trecenta aerea, aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas (6).

Aquam copiose fluentem partim adhibuit ad cloa-

---

(1) Front. Art. 9. qui plura de eo ductu tradit.

(2) Front. Art. 9; Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXI. § 24. Dio Cass. Lib. XLIX. c. 42 Marciae aquaeductum restituisse Agrippam jam anno superiori tradit; at de ea differentia eadem dicenda sunt, quae notavimus supra in nota 4 p. 88.

(3) Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 24 n. 9.

(4) Strabo Lib. V. p. 235.

(5) Suet. in Oct. cap. 42; Dio Cass. Lib. LIV. cap. 11.

(6) Plin. *Hist. Nat.* l. s. c.

eas expurgendas; per meatus enim septem corrivati amnes cursu praecipiti torrentium omnes sordes abstulere, eoque modo tam mundas cloacas reddidit Agrippa, ut per eas in Tiberim navigaverit (1).

Ultimum opus, quod Agrippa curator aquarum perfecit, aquaeductus jam memoratus, qui Virgo dicebatur, fuit. De hujus appellationis origine varia memorantur. Frontino teste (2) sic dicta est, quoniam virgo militibus aquam quaerentibus venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderant ingentem aquae copiam invenerunt. Cassiodorus (3) autem quod nullis sordibus polluatur sic vocatam esse affirmat. Plinius (4) tandem quia juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens haec ipsa aqua Virginis nomen acceperit. — Proinde de constructionis tempore dissentiunt scriptores. Frontinus (5) aquam perduxisse ait C. Sentio Q. Lucretio coss. post annum XIV (6) quam Juliam deduxerat, i. e. anno u. c. 735. Item Dio (7), quibus auctoribus major fides tribuenda videtur quam Plinio (8) tradenti eum in Aedilitate sua, i. e. a°. 721,

---

(1) Dio Cass. Lib. XLIX. cap. 43; Plin. *Hist. Nat.* Lib. cit. § 24. n. 3. (2) Art. 10.

(3) *Var.* Lib. VII. 6.

(4) Lib. XXXI. § 25. Eodem loco laudem aquae Virginl tribuit, quod tractu omnibus praestaret, quantum Marcia haustu.

(5) Loco cit.

(6) Sic legendum apud Frontinum opinor, non XIII. Vid. nota Poleni ad loc. cit.

(7) Lib. LIV. cap. 11.

(8) *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 21 n. 9.

adjecisse aquam Virginem. Recte enim Polenus (1) *ego a Frontino haudquaquam discessurus sum: namque cum ibi Plinius in eo sit, ut exponat mirabilia, quae in Ductibus Aquarum Romae praestitit in Aedilitate sua Agrippa, facile contingere potuit, ut, dum res magnificas persequeretur, rem aliam pariter magnificam, etiamsi ad illud tempus minime pertinentem, inconsulto induxerit. Quis vero credat, Frontinum, qui diem inquisierat, ut statim subdit,* DIES, QUO PRIMUM IN URBE RESPONDERIT, V. IDUS JUNIAS INVENITUR, *deinde in anno indicando tam palmarem errorem erravisse?*

Frontinus sic Aquam Virginem describit: *Concipitur in via Collatia* (2) *ad miliarium VIII, palustribus locis; signino circumjecto (continendarum scaturiginum causa) adjuvatur; et cum pluribus aliis adquisitionibus venit per longitudinem passuum XIV millium CV; ex eo rivo subterraneo passuum XII millium DCCCLXV, supra terram per passus MCCXL: ex eo substructione rivorum locis compluribus passuum DXL: operi arcuato passuum DCC; acquisitionum Ductus rivi subterranei efficiunt passus MCCCCV* (3).

---

(1) Ad art. 10. not. 4.

(2) Secundum PLINIUM *Hist. Nat.* Lib. XXXI. § 25 ab octavi lapidis diverticulo duobus millibus passuum Praenestina via aqua virgo adducta est. Quod non differre a FRONTINI narratione demonstrat POLENUS ad locum cit. Cf. FABRETTUS in opere *de Aquaeduct.* Diss. III. in THES. GRAEV. Tom. IV. p. 1771

(3) Art. 10.

Arcus Virginis sub hortis Lucilianis initium habuere; desiere in campo Martio secundum frontem septorum (1), de quibus mox. Hinc aqua in Thermas decurrit, fortasse in Euripum effluens CCCCLX quinariis suppeditabatur (2). — Dolendum maxime est descriptionem periisse quam ipse Agrippa de operibus suis edidit, ut liquet ex Frontini loco: *copia permittente descripsit quid aquarum publicis operibus, quid lacubus, quid privatis daretur* (3). Si hanc enim haberemus multo plura procul dubio de ejus propriis laudibus in hoc opere cognita forent, de quibus jam ex paucis verbis Frontini vix conjicere aliquid possimus, ex. gr. de modulis, quos hic Agrippae tribuere nonnullos dicit (4).

---

(1) Art. 22.

(2) Art. 84. Vid. porro de aqua Virgine R. Fabrettus *de Aq. duct.* et J. Chifletius *de Aqua Virgine* in Thes. Graev. Tom. IV. Ejus adhuc magna pars superest, de quo plura Canina *Indicaz. topogr. di Roma antiqua.* Saliens aqua, quae *di Trevi* vocatur, alitur hoc ductu, cujus constructio tamen non eadem est in specie, quae Agrippae tempore facta est. Etenim a Caligula postea corrupta, a Claudio restituta, a Trajano integre restaurata est. Postea tamen iterum corrupta est aqua Virgo, quam Pontifices Pium IV et Pium V restitui curasse tradit Luc. Paetus Ict. *de restitutione Aquae Virginis* in Libro *de mensuris et ponderibus.* Vid. nota Hard. ad Plin. *Hist. Nat.* Lib. XXXI. § 25.

(3) Art. 98.

(4) Art. 25.

In munere aquarum Agrippae successit Messala Corvinus (1).

Neque haec sola monumenta Agrippae industriam testata sunt in ornanda urbe. Aedilis enim omnia publica aedificia, omnesque vias privatis sumtibus refecit. In Circo ova lapidea poni curavit in spina prope metas, septem numero, quorum unum tollebatur quoties metam curriculo praeteriissent, eodemque numero delphinas septem prope Carceres (2). Sic incredibilia fere sunt, quae hoc uno anno perfecit!

Ejus nomine etiam inclaruere septa marmorea, quae anno 728 in campo Martio perfecit, licet ipse nomen iis imposuerit Juliis. Iis includebatur locus, quo singulae tribus ex comitiis tributis ad suffragia ferenda transibant. Lepidus locum eum, qui antiquitus solis ligneis tabulis cinctus erat, unde ovile apellabatur, porticibus aedificaverat; at Agrippa tabulis lapideis et picturis exornavit (3). E Plinio apparet egregiis statuis has fuisse ornatas, quas qui fecerint non constat (4). Postquam sub Tibe-

(1) Front. ib. Art. 99.

(2) Dio Cass. Lib. XLIX. cap. 43; Varro *de re rust.* Lib. I. cap. 2, 2; Alex. Donat. *de Urbe Roma* Lib. III. cap. 14 in Thes. Graev. Tom. III. pag. 717. Cf. Wieland ad Horat. *Serm.* Lib. II. Sat. 3. vs. 115.

(3) Dio Cass. Lib. LIII. cap. 23; Plin. *Hist. Nat.* Lib. XVI. § 76. n. 2. Ex Ciceronis *Epist. ad Att.* Lib. IV. Ep. 16 intelligitur jam ipsius tempore cogitatum esse de construendo ejusmodi opere.

(4) *Hist. Nat.* Lib. XXXVI. § 4. n. 8. Plura de septorum ratione habet Schulze von *die Volksversaml. der Römer.* p. 195. Gothae 1815.

rio ipsa comitia haberi desierant, septa mercatoribus et tabernariis relicta sunt, ubi merces prostarent (1). Vastata magno incendio Titi tempore (2), ab Hadriano restaurata sunt et hodie pauca eorum rudera videre est (3).

Non procul a septis probabile est fuisse Diribitorium aedificium, quod origine sua inserviret tabellis distribuendis cum cives ad suffragia irent; verum postea ingens illud aedificium, quod construxerat Agrippa in regione urbis nona, congiariis viscerationibusque populo elargiendis destinatum erat, ibique stipendia militibus diribebantur. Hoc opus admirabile ab Agrippa inceptum ad finem perduxit Augustus (4). Penitus combustum est imperante Tito (5).

Ceterum inter opera Agrippae memorantur Porticus Neptuni sive Argonautarum, quam anno 729 propter victorias navales exstruxit et pictura Argonautarum decoravit (6); campus Agrippae, de quo fere nihil notum

---

(1) Mart. *Epigr.* Lib. IX. Ep. 60; Sen. *de ira* Lib. II. cap. 7.

(2) Dio Cass. Lib. LXVI. cap. 24.

(3) Paul. Manutius *de Comitiis Rom.* cap. 15. in Thes. Graev. Tom. I. pag. 524 et seqq.

(4) Dio Cass. Lib. LV. cap. 8. ibique interpretes; Plin. *Hist. Nat.* Lib. XVI. § 76. n. 2.

(5) Dio Cass. Lib. LXVI. cap. 24.

(6) Dio Cass. Lib. LIII. cap. 27; Mart. Lib. I. Ep. 22; Don. in Thes. Graev. Tom. III. pag. 758.

est (1), tum etiam porticus, quam soror ejus Pola *in campo ex destinatione et commentariis* Agrippae aedificare inceperat quamque Augustus perfecit (2).

Quae etiam tradunt scriptores de porticibus Vipsania (3), et Agrippae (4), cum de illis nihil aliud nisi nomina invenire possimus, et fortasse memorata jam Agrippae opera designent, dubia illa potius mittamus. Satis enim superque nobis ostensum esse credimus Agrippam, qui *tot in urbe maxima opera excitavit, quae et priorem magnificentiam vincerent et nulla postea vincerentur* (5), multum contulisse ad mutationem illam urbis lateritiae in marmoream, qua sub imperio suo facta Augustus gloriabatur (6).

Multo minus integra notitia ad nos pervenit operum, certe aeque utilium, quibus construendis de reliquo imperio Romano bene meruit noster. De portu Julio et instructis brevi tempore classibus jam diximus (7). Hic addere sufficiat portum illum non amplius esse

(1) Dio Cass. Lib. LV. cap. 8. Vid. et B. Marlian. *urbis Romae Topographia* Lib. V. cap. 3. in Thes. Graev. Tom. III. pag. 167, et Fam. Nardinus *Roma vetus* Lib. IV. cap. 10. in eodem Thes. Tom. IV. pag. 1120.

(2) Dio Cass. ibid. Plin. *Hist. Nat.* Lib. III. § 3.

(3) Tacit. *Hist.* Lib. I. cap. 31.

(4) Horat. *Epist.* Lib. I. Ep. 6. vs. 26. Porticum, ab hoc poeta memoratam, Panthei porticum fuisse conjicit Wieland.

(5) Seneca *de Benef.* Lib. III. cap. 32.

(6) Suet. in Oct. cap. 29.

(7) Pag. 31 et seq.

superstitem, ibique non nisi paludem exstare; quum loca vicina irruptione, quam ignis subteraneus excitaverat, cineribus prorsus obruta sint (1). In Gallia vias quatuor stravit, quae ab urbe Lygduno initium caperent, indeque producerentur per integras provincias; una per Cemmenos montes in Aquitaniam et ad Santones usque: altera Rhenum versus; tertia ad Oceanum per Bellovacos et Ambianos; quarta iu Narbonensem Galliam et ad litus Massiliense (2). Pontem, cui nomen Gardo (*Pont du Gard*), opus architecto peritissimo dignum, quod ad hunc usque diem servatur prope Nemausos, Agrippam construxisse nonnulli putant. Tandem etiam balnea publica prope eandem urbem aedificasse, conjiciunt quidam, cui conjecturae ansam dedit inscriptio, in lapide inventa, *M. Agrippa.* Athenis etiam theatrum aedificavit in Ceramico (3). Verum haec et alia singulis locis in provinciis aedificata ab hujusce speciminis terminis et proposito abhorrent. Nimirum de beneficiis in universam rempublicam collatis dicendum nobis fuit. Ex his non exigua laus Agrippae tribuenda ob illud consilium, ab eo captum et ad finem perductum, quo Romano imperio eximie profuit.

Mentio enim adhuc facienda est operae, quam

(1) Vid. *Hist. de l'Acad.* etc. Tom XL. pag. 43. ibique auctores laud.

(2) Strabo Lib. IV. pag. 208.

(3) Vid. *Hist. de l'Acad.* ibid. pag. 55 et auctores ibi laud.

Agrippam orbis descriptionis navasse verosimile est (1). Plinius nobis hac in re unicus est auctor, qui passim, ubi de regionum dimensione et urbium situ quaestio est, Agrippae opus citat, cujus titulus ignoratur (2). In libro Tertio (3) praeterea tradit eum, et ex ejus commentariis Augustum in porticu Polae, descriptionem integri imperii pictam posuisse. Cum autem minus probabile sit, totum opus ibi exaratum fuisse, videtur Agrippa ipse libros geographicos et chartas fecisse (4). Jam descriptionem geographicam et, ut recentes dicunt, statisticam totius Romanae ditionis jam Caesaris Dictatoris in proposito fuisse, novimus ex Aethico Istro (5), quod autem Augusto imperante primum effectum est. Quamquam de Agrippa nulla mentio ibi fit, tamen et hic et Plinianus ille locus (6) suadent ut credamus Agrippam, nisi toti rei praefuerit, saltem unum eorum fuisse, quibus Imperator ejus curam mandarit. Fir-

(1) Vid. Uckert *Geographie der Griechen und Römer*, Weimar, 1816. Th. I. pag. 192.

(2) Loci Pliniani, quibus Agrippae auctoritate aliquid de situ regionum adfirmat, sunt: Lib. III. § 3 bis, 5, 14, 15, 29; Lib. IV. § 18, 20, 21 bis, 25, 26 bis, 28, 30, 31, 35; Lib. V. § 6, 12, 28; Lib. VI. § 1, 15 bis, 21, 31, 33 et 38 bis.

(3) § 3.

(4) Haecce in repositorio arcanorum publico mansisse credit J. C. F. Baehr *Geschichte der Römische Literatur*, 2° Ausg. 1832. pag. 676. Vid. et Mannert *Geographie der Griechen und Römer*, 1799. Th. I. pag. 123 et seqq.

(5) *Cosmographia* initio.

(6) Lib. III. § 3.

mari illud videtur eo, quod memorat Vegetius (1), provinciarum praesides sub imperatoribus suae quemque provinciae descriptionem locorum, milliarium, viarum, montium, fluminum, canalium, habere debuisse. Nec adeo improbabilis est conjectura viri cl. Mannert, licet nullo veterum expresso testimonio freti, tabulam celebratam illam Peutingerianam, quae Antoninorum tempori solet adscribi, ortum suum Agrippae debere, postea mutationibus, ut res postulabat, factis (2).

(1) *De re milit.* Lib. III. cap. 6.

(2) Mannert *Introd.* ad *Tabul. Peuting.* pag. 5.

TANTUM.

T H E S E S.

I.

M. Agrippa egregium specimen optimi civis dedit, quod, licet Augustns illins consilia spreverit, tameu beneficia in popnlum Imperatoremque conferre uon deslit.

II.

Recte vir cl. Weichertus (Imp. C. Aug. script. rel. fasc. I. Exc. 3) contendit Agrippam uon iufimo et sordido loco uatum fuisse.

III.

Augustus numqnam revera consilium se imperio abdicandi babuit.

IV.

Virgilius non repreheudendus est quod Aeueam Didoni aeqnalem finxerit.

V.

Lollius, ad quem scripta est Horatii Epist. 2 Libri I, diversns est ab eo, quem Carm. 9 Libri IV poeta alloquitur.

VI.

Qui tempore Ptolemaeorum babitus est scriptorum delectus ab Aristarcho et Aristophane Byzantio, literarum studiis damunm attulit.

VII.

Reges in Graecia uou absolntam habuere potestatem.

VIII.

Locus Sophoclis Ant. vs. 40 sic legendus esse videtur:

λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα προσθείμην πλέον;

non, ut nonnullis placet, *λύουσ' ἂν ἢ θάπτουσα κ. τ. λ.*

IX.

Egregia est conjectura viri celeb. Ruhnkenii in Sat. Juven. X vs. 283. seqq.

Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas: sed multae urbes et publica vota
Vicerunt.

pro *multae* legentis *moestae.*

X.

Perperam in editione Ciceronis Disp. Tusc. quam edidit vir cl. Nobbe Libr. I c. 21 vs. Ennii:

Acherusia templa, alta orci
Pallida Leti, obnubila tenebris loca.

pro *pallida* legitur PALLATIA.

XI.

Licet Tragoedia, cui nomen est Trachiniae, minori arte, quam ceterae Sophoclis Tragoediae, elaborata sit, tamen eximio poeta digna est. Perperam igitur nonnulli eam non Sophocli tribuendam esse censent.

XII.

In omnibus rebus cum veritas colenda sit, perversum est Ciceronis dictum Tusc. Disp. Lib. I. cap. 17: „*errare malo cum Platone, quam cum istis* (Pythagoreis) *vera sentire.*"

